COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XXI PARS II.

LIPSIAE MDCCLXXV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Venetiis apud I. B. Paſcali, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Noua Acta regiae ſocietatis ſcientiarum Vpſalienſis. Vol. I. Vpſaliae, Apud Ioann. Edman. Anno MDCCLXXIII. 1 Alph. 6 plagg. 4. tab. aen. 10.

Quum indulgentia ac tutela Sereniſſimi Principis hereditarii et Ducis Sudermaniae, CAROLI, omnia, quae inuitis et dolentibus ſociis acciderunt, obſtacula diſpulſa ſint: Societas ſcripta ſua, hac Nouorum Actorum inſcriptione vulgabit.

Dolemus ſane fortunam aduerſam, qua incendio fatali et quarta pars vrbis anno 1766, et ſcripta ſociorum plura periere; atque optamus, vt reliqua, quae promittuntur volumina, ſtudioſis naturae certe accepta futura, propediem edantur. Quantum ex nuperis litteris nouimus, praeter hoc primum, quod indicamus, nondum aliud prodiit. Sunt autem in hoc volumine ſcripta phyſico medica, hiſtoricis aliisque omiſſis, ſequentia.

1. *Anomiae* deſcriptae tum a THOMA PENNANTO, tum a CAROLO V. LINNÉ. Conſtat diu incognita fuiſſe animalia in *Anomiis* habitantia, atque Ill. LINNAEVS fatetur Cl. PENNANTVM in *Anomia*, quae ab hoc vberius hic deſcri- p. 38.

describitur, estque *Anomia retusa* LINN. Syst. XII. 1151. primum animal, siccatum quidem deteriss. et cardines reperisse. Depicta hic est testa, et animal
p. 39. siccatum in testa. Adiungit Ill. LINNAEVS *Anomiae capitis serpentis* animantisque in ea habitantis, et *Anomiae patelliformis* descriptiones, quae iam in Fauna Suecica et Systemate naturae ed. XII. breviores reperiuntur, et icones. Animal *A. patelliformis* singulare est, nam e medio corporis veluti linguam porrigit ciliatam pilis tenuibus, et ab vtroque linguae latere brachio instruitur, quorum ope, periculo imminente testas claudat.

p. 44. 2. *Furia infernalis*, *vermis*, *et ab eo concitari solitus morbus*, *descripti a* DANIELE SOLANDER. Vermem viuum Noster disquisiuit, deditque characterem, quem LINNAEVS in Syst. nat. XII. assumsit, putat tamen eundem Lumbrico proximum esse. Historias morbi plures commemorat, eumque *Paronychiam horrendam*, *ex verme*, nominat. Subito enim, latente caussa, incipit, digitos, manus, et faciem infestatur, inflammationem parit, dolores atrocissimos excitat, ossa ipsa sollicitat caries, vlcera immedicabilia gignit, ita, vt non tollatur, nisi, quum ossa exciderint, longissimi saepe mora cruciatus. Remedium contra morbum in cespeo non salito recenti multi inuenerunt.

p. 58. 3. *Classes Larvarum a* TORBERNO BERGMANN conduntur, genera et species inposterum promittit. In quibusdam Dipteris videtur larva triplicem subire metamorphosin, cum intra larvam exutam, integram et indurescentem, initio formam habeant ellipsoidis, quae membra introrsum versa sensim emittens in Nympham mutatur; nulla tamen has duas formas excoriatione intercedente,

vnicam

vnicam esse habendam metamorphosin Noster existimat. Ex diuersitate capitis pedumque in Larvis, octo classes sequentes constituit.

Laruae sunt praeditae:

1. vel capite membranaceo, pedibus aut membranaceis, vel nullis: *Midae*, quae per statum nymphae s. pupae incompletae in *Diptera* transeunt.
2. vel capite corneo.
   a) absque dentibus exsertis, pedibus corneis nullis: *Raucae*, quae etiam in *Diptera* mutantur.
   b) dentibus exsertis.
      α) pedibus carentes: – *Bugones*, per Nymphas in *Hymenoptera* mutantur.
      β) pedibus praeditae.
         1. corneis tantum: *Simulia*, ex his et *Coleoptera* et *Neuroptera* et *Aptera* fiunt.
         2. corneis et membranaceis
            a. membranaceis vltra 10. *Bractii*, inde *Tenthredines*.
            b. membranaceis non vltra 10. *Campae*, hinc *Lepidoptera*.
   c) rostro absque dentibus, pedibus corneis sex membranaceis nullis.
      1. rostro vno: *Ipedes*, fiunt *Hemiptera*.
      2. duobus rostris: *Serphi*, vnde vel *Dytiscus*, vel *Hemerobius*.

4. *Tipula fusca, antennis simplicibus, alis longitudinaliter plicatis, descripta et societati communicata anno* 1757. *a* CAROLO DE GEER. Est vberior historia metamorphoseos, et descriptio *Tipulae replicatae* LINN. Eruca caret pedibus, aculeis simplicibus et bifidis corpus tegitur. Hi aculei caui sunt, et Auctori videntur id praestare, vt larua respirare possit. p. 66.

p. 77. 5. *De Hyaena, narratio missa Algeria, ab* ERICO SKIOLDEBRAND. Obseruationes iam hae in LINNAEI systemate ed. XII. reperiuntur, notandum tamen est id Mauros opinari, quicunque quidquam huius ferae, praesertim eius cerebrum edat, eum insanum futurum; et quendam, qui cum *Hyaena* conflictaret, neque vulneratus esset, paucos post dies tumidum mortuum esse.

p. 81. 6. *Bellis cretica, fontana omnium minima,* (TOURNEF. *Coroll.* 37) descripta ab IOANNE CHRIST. DANIELE SCHREBERO. Est *Pectis minuta*, foliis ouatis petiolatis. LINN. Egregie hic describitur, traditurque icon eiusdem.

p. 85. 7. EIVSD. *epistola ad* CAROL. V. LINNE, *qua continentur varia noua Botanica.* Sunt descriptiones *Decumariae barbarae*, *Gorterae rigentis*, *Schreberae schinoidis*, cuius et icon additur.

p. 94. 8. *Heliophila descripta a* LAVR. BVRMANNO; est Heliophila integrifolia LINN. cum icone.

p. 97. 9. *Ellisia Nyctelea, cuius figura missa fuit Londino ab* EHRETO, *descripta a* CAROLO V. LINNE: reperitur in appendice ad species plantarum, mantissa, et systemate Linnaeano.

p. 98. 10. *Dionaea muscipula descripta a* IOANNE ELLIS: vberiorem ipsius Auctoris descriptionem indicauimus *).

p. 101. 11. *Obseruatio de ossibus in pericardio hominis, cordi vndique adhaerente, repertis a* SAMVELE AVRI-

*) v. comm nostr. Vol. XIX. p. 529.

AVRIVILLIO, iam fatis erepto. Hominis in quadrageſimo quarto aetatis anno demortui thorace aperto, circa cordis regionem nimia pinguedo ſe obtulit, pericardium erat craſſum, calloſum, et octo oſſeis fruſtis, diuerſae magnitudinis refertum, quae a laminis pericardii tegebantur, ita tamen, vt breui tela cellulari cordi necteretur totum pericardium. In vtroque cordis ventriculo polypus, alter liber, alter cum valuulis coalitus reperiebatur. Nihil de homine viuo reſcire potuit Noſter, niſi eum ſpirituoſis abuſum liquoribus, pectoris anguſtiis, tuſſique fere ſicca queſtum, ſubito mortuum eſſe.

12. *De remediis Galactophoris obſeruationes* PETRI IONAE BERGII. In quinque mulieribus, quibus variis ex cauſſis lac ſuppreſſum fuit, decoctum ex Radicis foeniculi dulcis vnciis duabus, herbae foeniculi vncia vna et dimidia, eademque herbae anethi et chaerefolii quantitate, et ſeminum foeniculi vncia vna, iuxta artis regulas paratum lactis ſecretionem optime promouit. p. 104.

13. IOANNES T. HAARTMANN, refert, haemopticum, omnibus aliis remediis, ſanguinis profluuia ſedantibus, oleoſis, paregoricis, lacteque ebutyrato, fruſtra adhibitis: tandem ſpiritu frumenti, nitro ſaturato curatum eſſe. Haemoptyſi ſublata, variis contra tuſſim datis, plane conualuit. Idem remedium mulierem, eodem morbo laborantem, ſanitati reſtituit. p. 109.

14. *Experimenta electrica, tranſitum commotionis per aquam illuſtrantia, auctore* TORBERNO BERGMANN, *anno* 1757 *ſocietati communicata:* ex his colligit corpora ſic dicta propagantia non ſemper ictui tranſitum concedere, ſed opus eſſe, vt p. 111

magna fluidi electrici copia penetrare poſſit: facultatem propagandi, a vi concutiendi gradu tantum differre: aquam, animalia, et metalla inter optima propagantia numeranda eſſe.

p. 118. 15. *Aurorae boreales, annis* 1759-62 *obſeruatae ab* EODEM. Diem, horam, minutaque prima, altitudinem, ſplendorem, colores, directionem alinque ſollicite indicat.

p. 150. 16. *Variae cryſtallorum formae a Spato ortae, explicatae ab* EODEM. Demonſtrat geometrice, quomodo teſſera planis rhombeis multis modis in alias figuras mutari poſſit; vel enim ſi plures vni rhombo circumponuntur, oritur priſma hexaedrum, ſex conſtans parallelogrammis, vtrinque terminatum tribus rhombis, quae figura *baſaltici et calcarei* cryſtallis competit: aliis modis cryſtalli *Granatis* vel *Hyacinthis* propriae conſtrui poſſunt: quam rem et figuris et pluribus exemplis illuſtrat.

p. 155. 17. *Obſeruatio deliquii lunaris d.* 19 *Iun.* 1750 *facta, in obſeruatorio Vpſalienſi a* MARTINO STROEMER.

p. 156. 18. *Obſeruationes quaedam Aſtronomicae habitae in obſeruatorio Holmienſi, a* PETRO WARGENTIN. Nimirum ſex eclipſes ſolis, ſeptem eclipſes lunae, tranſitum lunae per pleiades, occultationes ſtellae β Virginis, et ſtellae Aldebaran vel α Tauri deſcribit.

p. 169. 19. *Problema Aſtronomicum, inuenire correctionem meridiei, auctore* FRIDERICO MALLET.

p. 174. 20. *Meletema Aſtronomicum, auctore* EODEM. Demonſtrationes ſunt circa naturam et proprietates Ellipſeos, quae in theoria Planetarum praeſupponi debent, vel quae ad legem virium in motibus Ellipticis determinandam inſeruiunt.

21.

21. *Cogitationes de excidio naturae, exhibitae* a DANIELE MELANDER. Mathematice oſtendit planetas ideo, quoniam ſol perpetuam patiatur diminutionem, egredientibus radiis ſolaribus, a ſole recedere debere; ſimul vero per Solis atmoſphaerae reſiſtentiam retineri in iuſta a ſole diſtantia: ideoque in vno eodemque naturam manere ſtatu, atque opiniones contrarias vix veriſimiles eſſe.

II.

10. CHRIST FABRICII, Profeſſ. Havnienſ. Soc. Reg. Norv. et Berol. Memb. Syſtema entomologiae ſiſtens inſectorum claſſes, ordines, genera, ſpecies, adiectis ſynonymis, locis, deſcriptionibus, obſeruationibus. Flensburgi et Lipſiae. In officina libraria Kortii, 1775. 8. 2 Alph. 8. plagg.

Characteres ordinum et generum Cl. Auctor in hoc nouo ſyſtemate ex inſtrumentis cibariis deſumit, eaque ideo curatius diſtinguit et definit, atque exinde, cum ordines ab alis in ſyſtemate Linnaeano videantur naturae vim inferre, claſſes nouas ſ. potius ordines, octo conſtituit, pluraque noua genera receptis addidit. Ordinum nomina ſunt.

Eleuterata; his os maxillis, palpiſque quatuor aut ſex, maxilla nuda, libera: comprehendit *Coleoptera* LINN.

Vlonata, os maxillis, palpis quatuor maxilla tecta, galea obtuſa: huc priora ex *Hemipteris* LINN. genera, quae roſtro carent, pertinent.

Syniſtata, maxilla connata cum labio, palpis quatuor, coniuncta ſub hac claſſe ſunt varia *Apterorum*, plura *Hymenopterorum*, et *Neuropterorum* genera, LINN.

Agonata, ore palpis quatuor aut ſex, maxilla nulla. Sunt *Scorpio* et *Cancer* LINN.

Vnogata, ore maxillis palpisque duobus, maxilla inferiore ſaepius vngiculata.

Gloſſata, ore palpis linguaque ſpirali: *Lepidoptera* LINN.

Ryngota, horum os roſtro, vaginaque articulata inſtruitur: poſteriora *Hemipterorum* LINN. genera.

Antliata, quibus os hauſtello: vagina inarticulata: *Diptera* LINN.

Multa genera Linnaeana in plura Cl. Auctor diuiſit pro inſtrumentorum cibariorum diuerſa ſtructura. Nos quaedam tantum exempli loco indicabimus. Sic
p. 3. *Scarabaei* genus in quinque diuiſit, quae dicuntur 1. *Scarabaeus*, palpis 4 filiformibus, labio emarginato, apicibus elongatis palpigeris; huc *S. Hercules* LINN. ſimileſque 2. *Trox*, palpis 4 capitatis, maxilla bifida; *Scarabaeus ſabuloſus* LINN. 3. *Melolontha*, maxilla breui cornea, apice multidentata. 4. *Trichius*, palpis 4 filiformibus, maxilla bifida. 5. *Cetonia*, maxilla apice ſetoſa, labio coriaceo, emarginato, palpos tegente, vt *Scarabaeus auratus* LINN. Sic
p. 55. etiam *Dermeſtes* Noſtro habetur, inſectum palpis inaequalibus filiformibus, maxilla bifida, labio corneo obtuſo integro. Reliquos LINNAEI Dermeſtes, vel *Apates*, palpis filiformibus, aequalibus, labio membranaceo, truncato, vel *Boſtrichi*, maxilla cornea, labio cylindrico integro, apice palpigero antennis claua ſolida, nominat. Sub *Sphaeridio* Cl. Auctoris *Dermeſtis* et *Silphae* LINN. quaedam ſpecies comprehenduntur. *Cerambyx* LINN.
p. 159. in ſequentia genera eſt partitus. 1. *Prionus*, palpis 4 filiformibus, maxilla cylindrica, integra, labio breuiſſimo, membranaceo. 2. *Cerambyx*, palpis filiformibus, maxilla obtuſa vnidentata, labio bifido.

2. *La-*

3. *Lamia*, palpis 4 filiformibus, maxilla cornea bifida, labio corneo bifido. 4. *Stenocorus*, palpis 4, anterioribus filiformibus, posterioribus clauatis. 5. *Calopus*, palpis 4. anterioribus clauatis, posterioribus filiformibus maxilla bifida, labio membranaceo, bifido, antennis filiformibus. 6. *Rhagium*, palpis 4 capitatis maxilla vnidentata, labio membranaceo bifido. 7. *Saperda*, palpis filiformibus, maxilla membranacea bifida, labio cordato, truncato. 8. *Callidium*, palpis 4 clauatis, maxilla membranacea bifida, labio bifido, laciniis breuissimis acutis: ad vltimum hoc genus vero etiam *Lepturae* species LINN, pertinent.

In *Grylli* genere familias Linnaeanas genera fecit. 1. *Acridium*. (*Gryllus bipunctatus*, et *subulatus* LINN.) 2. *Truxalis* (*Gryllus Acrida* LINN.) 3. *Acheta* 4 *Locusta* (*G. Tettigonia* LINN.) 5. *Gryllus* (*G. Locusta* LINN.) Similiter *Sphyngis* et *Phalaenae* genera subdiuisit, ita, vt in posteriore nomina familiis Linnaeanis data retineret. p. 276.

Quaedam genera, quae tamen vel vnam, vel paucas species continent, insecta noua plane et exotica sistunt, vt *Melyris*, Dermestis facie, palpis filiformibus, maxilla vnidentata, acuta, labio clauato emarginato, antennis totis perfoliatis; ad caput Bonae spei habitans. p. 58.

Zygia, *Meloes* propinquum genus, quod palpis inaequalibus, filiformibus, labio elongato, membranaceo, antennis moniliformibus instruitur: et *Zonitis*, quae statura *Chrysomelae sulphurae* LINN. similis est: et definitur ab Auctore, palpis filiformibus, maxilla palpis longiore, integra, labio emarginato, antennis setaceis; vtraque in Oriente FORSKAEHLIO est inuenta. p. 126.

Alurnus sistit nouum genus *Chrysomelae* simile, differens palpis sex, acutis, breuissimis, maxilla cornea fornicata, antennis filiformibus: in Indiis habitat. p. 94.

Cucuius, statura *Cantharidis*, differt palpis aequalibus, articulo p. 204.

vlti-

vltimo truncato, craſſiori, labio biſido, antennis moniliformibus: habitat in Germania. Sepp.

p. 250. *dium*, et *Scaurus* noua genera, quae ad *Tenebriones*

p. 258. LINN. pertinent. *Erodius*, inter *Tenebrionem* et *Meloen* LINN. medium genus, elytris connatis

p. 353. praeſertim diſtinguitur. *Tiphia*, genus *Sphegi* propinquum ex Syniſtatorum ordine (forſan etiam Hymenopterum, quod tamen ex deſcriptionibus Auctoris non patet,) nouas octo ſpecies, pleraſque exoticas continet, eſtque iis maxilla membranacea rotunda, labium breue, corneum, tridentatum me-

p. 360. dio palpigerum, antennae ſubpetiolatae. *Thynnus* et *Leucopſis*, noua ad *Veſpam* LINN. pertinentia genera. Vt alia mittamus.

Acceſſit igitur in hoc ſyſtemate ingens, ac certe altera tanta copia nouorum neque ante a LINNAEO deſcriptorum inſectorum: quod exinde, cum 99 noua genera ad priora addita ſint, facile colligere licet. Cl. Auctor enim ea, quae Cll. viri BANKS, SOLANDER, FORSKAEHL, aliique in nouis terris detexerunt, vidit, horumque dat deſcriptiones: detexit ipſe plures nouas Europaeas ſpecies, luſtratus eſt plura muſea, atque ex multis quaedam noua commemorat: addiditque noua ea inſecta, quae paſſim recentiores, DRVRY, SEPP, SCHAEFFER aliique vel depinxerunt, vel deſcripſerunt.

Generum nomina Linnaeana, et triuialia non mutauit, niſi tum, cum e ſpeciebus quibuſdam noua genera, iuxta methodum ſuam, ſtruere oportebat. Deſcriptiones nouis, vel minus recte deſcriptis ſpeciebus addidit, differentiasque ſpecificas a coloribus deſumſit. Synonyma addidit laudatorum Auctorum recentiorum, veterum nomina conſulto omiſit.

Quaſdam ſpecies Linnaeanis aliis generibus iam cognitis ſubiecit, ac nonnullas, ad varietates, ex quibus

quibus notatu digniſſimarum tantum memoremus. *Coccinellam vnipunctatam* ad Scarabaeos retulit. *Caſſiam petiuerianam* ad *Blattam* amandauit, cum antennae ſint ſetaceae. *Mantis oratoria* et *religioſa* vnam ſpeciem conſtituunt. Sic ad *Tenthredinem bicinctam liuida* quoque refertur. p. 20. p. 212.

Curculiones Anchorago et diſpar dubii Auctori adhuc, et nouum genus conſtituere videntur. Quaſdam *Sphegis* ſpecies, vt *cribrariam*, *clypeatam*, *myſtaceamque*, ad *Crabronis* genus adiecit. *Phalangium cancroides* dicit ſpeciem *Scorpionis*. p. 143.

Termetes fatidicum et *pulſatorium* LINN. ad *Hemerobium* numerat. *Termes* vero *fatale* LINN. genus ſolum conſtituit, quod inter *Apem* et *Formicam* medium eſt; cum mas alatus, femina vero et neutra aptera ſint. In India ſummam calamitatem conſtituit, fornices cylindricos progrediendo aedificat, et nidos e ſabulo ſinubus daedaleis in tophum ſtruit. Calce viua coercetur. p. 311. p. 390.

Obſeruationes paſſim, ſed rarius ſubiunctae ſunt. Locum natalem, et victum in multis curatius definiuit, quarundam etiam laruas indicat, et Aphidum nominibus deſcriptiones addidit.

Haec fere ſunt, quae de nouo hoc ſyſtemate et inſtituto noſtro referre licet. Nam neque vtilem, neque Lectoribus acceptam iudicamus nouorum omnium generum, vel ſpecierum enumerationem; cui iſta placeant, is ipſum librum legat neceſſe eſt. Laudamus Cl. Auctoris ſummam ſane operam, diligentiam, et ſollicitudinem, quam in colligendis tot nouis inſectis, iis deſcribendis, et cum Auctorum nominibus comparandis adhibuit; laudamus id, quod inſtrumenta cibaria curatius diſquiſiuerit,

ſiuerit, eorumque diuerſitates expoſuerit, attenderitque ad ea in deſcribendis generibus et ſpeciebus. At vero mimus placet, exinde exſtructum ſyſtema, nimiſque diuulſa et turbata genera inſectorum. Etſi enim concedimus methodum, ab aliis deſumtam, paſſim non naturalem eſſe, tamen etiam hanc nouam ordinandi rationem naturae vim ſaepe inferre arbitramur. Sic ordo Syniſtatorum coniungit inſecta, et victu, et corporis forma, metamorphoſeos etiam diuerſitate omnino inter ſe diuerſa. Sane, quam ſimilitudinem Monoculi et Oniſci, cum Ephemera habeant, vel quae conuenientia inter Libellam et Iulum ſ. Scolopendram ſit, nos non reperimus. Graue iam et difficile ſatis eſt ſtudium naturae, neque vtile tanto nouorum generum numero confuſionem augere: cum hac ratione verae naturae cognitioni plus detrahatur, quam addatur. Deſcribantur partes omnes, iungantur ſimiles ſibi ſpecies, et quae quibuſdam a ſe differant notis, diuerſae familiae ſub vno eodemque genere adſcribantur. Satis enim naturae diuerſitas monſtrat, Genera cuncta eſſe artificialia, ſpeciesque per gradus ſecum connecti. Optaremus potius, vt Cl. Auctori, praeſertim in nouis generibus, placuiſſet, vberiores ſubnecti partium deſcriptiones. Nos, libere enim fatendum eſt, ex datis ſaepe nondum hariolari formam et ſtructuram animalis potuimus, quod potiſſimum ei accidet, qui nondum inſecta ex LINNAEI ſyſtemate cognoverit. Sic an *Tiphia* alis inſtruatur quatuor, an duobus, an quaedam ſpecies nullis, membranaceis, vel aliis, ex definitionibus non patet. Inuenimus etiam quaſdam LINNAEI ſpecies omiſſas eſſe, quod tamen forte conſulto, factum eſt.

p. 353.

III

III.

Inledning til Diur Riket, efter Herr Archiatern och Riddaren CARL VON LINNÉS Lärogrunder. Af ANDERS IAHAN RETZIVS. Stockholm, Hos Carl Stolpe, 1772. 8. plag. 18. tab. aen. 4.

i. e.

Inſtitutiones ad cognoſcendam Animalium naturam, iuxta methodum Ill. LINNAEI, Auctore ANDREA IOANNE RETZIO.

Iuuabit breuem huius vtilis libri tradere epitomen, cum propter ordinem laudabilem, curatam et vberiorem tractationem, partiumque in animalibus determinationem, et prudenter delectas, rectèque ſculptas icones notabiliorum partium omnem omnino mereatur commendationem, et in aliis linguis imitationem.

Generaliori de animalibus in vniuerſum tracta- p. 1.
tione praemiſſa, vbi oeconomica corporis animalis, atque ex eius diuerſitate orta in claſſes et ordines diuiſio, et characteres claſſium atque ordinum traduntur, capite altero generum attributa, p. 33.
ſpeciebus plurimis eiuſdem generis communia, enarrantur. Iam partium diuerſitates omnes in- p. 116.
dicat, ita quidem, vt et externas, et quaſdam interiores contempletur. Vnaquaeque claſſis ſigillatim tractatur. In his partium diuerſarum denominationibus multae ſunt, quae in aliis fundamentis omiſſa ſunt. Adiectum eſt nomen Suecicum, et Latinum, et ſi opus fuerit explicatio. Saepe additum eſt exemplum animalis, ſi fuerit ſtructura ſingularis. Illuſtrationis cauſſa additae ſunt icones,

vt

vt diximus, elegantes et vtiles. Libro subnectitur index terminorum et animalium. Exteris etiam hic diligenter scriptus liber eo vtilis esse potest, vt terminos Suecicos technicos recte intelligant, qui in Lexicis vulgaribus vel plane non, vel perperam saepe explicantur.

IV.

De uitlandsche Kapellen voorkomende inde drie waereld - deelen Asia, Africa, en America, by een verzameld en beschreeven door den Heer PIETER CRAMER. etc.

Seu.

Papillons exotiques des trois parties du Monde l' Asie, l' Afrique & l' Amerique rassemblées & décrits par Mr. PIERRE CRAMER Directeur de la Société Zelandoise des Sciences a Vlissingue & Membre de la Société concordia & libertate à Amsteldam. dessinés, sur les Originaux, gravés & enluminés sous sa direction. A Amsteldam, chez S. I. Baalde. A Vtrecht, chez *J.* van Schonhoven & Comp. MDCCLXXV. I. Cahier 9 planches. 4 mai. tab. aen. illum XII.

i. e.

Lepidoptera exotica collecta descriptaque a PETRO CRAMERO, et sub eius direction ne viuis coloribus picta.

Praemissa dedicatione, qua Lepidopterorum natura breuiter exponitur, scriptoresque recensentur, praefatio sequitur, vbi ratio scribendi ab Auctore Cl. indicatur. Sequitur Noster LINNAEI systema, nomina

nominaque eius retinet: noua Lepidoptera ad Eiuſdem leges format, nominaque Heroum et Romanorum iis imponit. Commemorat nomina Auctorum, qui inſecta quaedam hic depicta, iam habent. Colorum mentionem in deſcriptione non fecit, neque, vt animaduertimus, ſemper aliarum partium differentiam, vti fieri debuiſſet, indicat: ſed ea ex iconibus cognoſci vult. Colores ſelegit in iconibus viuos, non tamen nitentes nobis videntur. Indicat, ſi varium colorem offerant alae quorundam.

Omnino opus ſplendidum atque omnibus naturae ſtudioſis acceptum fore hoc opinamur. Sed duo optanda ſunt, vt et ea Lepidoptera, quae ab aliis EDWARDO, DRVRY, CLERK, iam picta traduntur, omittantur, ne nimia repetitione ſtudium naturae iam pretioſum, nimis moleſtum fiat: deinde, vt praeter breue tantummodo nominis familiae locique natalis indicium, etiam naturae, et metamorphoſeos fieri poſſit mentio. Icones ſplendidae, interdum tamen nimis durae, nec naturae omnino conuenientes videntur.

V.

Icones lignorum exoticorum et noſtratum Germanicorum ex arboribus, arbuſculis et fruticibus varii generis collectorum. Miſſus I. et II. plag. 4. tab. aen. 24. fol. min.

Seu.

Abbildung in - und ausländiſcher Hölzer, ſowohl von Bäumen als Staudengewächſen, welche von den Liebhabern der Naturgeſchichte in ihren Naturalienkabinetten nicht nur zu einer Augenbeluſtigung, ſondern auch zur Kenntniß der Petrefakten, pflegen zuſammen getragen zu werden. Nach

ihrer Struktur und natürlichen Farben heraus gegeben. 1-2*tes Heft. Nürnberg. In Commiſſion der Seeligmanniſchen Kunſthandlung.* 1773-74.

Traduntur in his tabulis 216 lamellae, forma quadrangula oblonga caeſae, politaeque lignorum plurium: ita quidem, vt in quibuſdam ſectio tranſuerſa et ad longitudinem facta conſpiciatur; in nonnullis mutatio coloris aqua forti vel putredine orta eſt icone indicata. Nomina arborum Latina et Germanica addita ſunt, ſed tantum triuialia, et in quibuſdam nihil ſignificantia, vt *Abor exotica*, quis ſciet, quaenam? etiam corrupta, vt *Pericardium* Cedri: Praeter communia arborum ligna, quaedam rariora deprehenduntur; vt lignum braſilianum, Antira dictum; Aſphaltum, Colubrinum; Saſſafras, Indicum roſeum; litteratum; Campechinum; ſanctum; purpureum; cajate, Collecteben, Mahagoni ſ. ex Lauro indica; Surinamenſe *Bollatra*; Guaiacum; Benzoinum; Dracenae; Camphorae, et alia, quae omittimus.

Fatemur lubenter, multa arte et egregie picta eſſe horum lignorum icones; verum non poſſumus, quin de vſu totius libri vehementer dubitemus. Primo enim tabulae lignorum politae phyſico de ligni natura, ſtructura, denſitate etc. ſollicito plane non ſufficiunt, nec quicquam fere profunt. Deinde in adeo paruulis fruſtis fibrarum in arbore directio, ſaepe multum varians, non cognoſcitur. Denique ipſorum lignorum colores, pro ratione loci, aetatis, regionis, etc. multum variant. Hinc etiam declaratur, cur multa, fere omnia, hic depicta ligna, coloribus et fibrarum directione differant, ab iis, quibuscum ea comparauimus. Etſi igitur arti hic adhibitae laudem detrahere nolumus, vſu eam tamen hic carere putamus.

VI.

VI.

SALOMONIS SCHINZ Med. Doct. Primae Lineae Botanicae ex tabulis phytographicis Clar. IOHANNIS GESNERI Med. Doct. ductae. Turici apud I. C. Fuesslinum filium MDCCLXXV. cum germ. versione. 6 plag. cum praef. cum 2 tabb. aeneis fucatis. fol. reg.

In praefatione commemorat Cl. Auctor causas, quae ipsum impulerint ad hanc tabularum botanicarum editionem procurandam. Quae potissimum in eo positae sunt, vt, cum in tabulis Fuchsianis, quibus potissimum in paedagogio Turicensi vtantur, partes fructificationis sint omissae, alumni haberent, in quo et earum aliquam cognitionem sibi acquirerent, et quarum ductum in arte pingendi sequerentur. Ipsarum vero partium descriptiones, quae nobis ob summam concinnitatem elegantiamque, alias in Botanicorum libris non nimis vsitatam, etsi vix noui quicquam hic contineatur, maximopere placent, ex LINNAEI, HALLERI, OEDERI aliorumque botanicorum libris, vt Cl. Auctor ipse fatetur, non sine summo studio collegit atque digessit. Vt intelligatur genus dicendi, quo Noster vtitur, breui, perspicuo, et eleganti, speciminis loco, pensum, in quo partes vegetationis et fructificationis describit, hic re- §. 2.
scribemus. *Partes vegetationis sunt eae, quae ad plantae sustentationem, incrementum, vitam inserviunt. Partes fructificationis propagandae speciei destinatae sunt.* §. vlt.

Non vero solum partes plantarum descripsit, exemplisque illustrauit, verum etiam ad calcem libri

ſyſtema ſexuale Ill. LINNAEI, ad quod intelligendum tironibus hic libellus non parum proderit, explicuit, et tabulam addidit, ad quam Ill. LINNAEVS ſyſtema ſuum exſtruxit, et quae pluribus Linnaeanis libris praepoſita reperitur.

Dolendum vero, hunc librum typographicis erroribus nonnunquam ſat moleſtis, vt pag. 18. vbi *radicem* pr. *radium* legitur, eſſe corruptum.

Figurarum quidem delineationem ſatis accuratam et elegantem deprehendimus, niſi quod Tab. A. n. 30. pro flore *Coluteae fruteſcentis*, mallemus adhibitum fuiſſe, piſi aut eiusmodi plantae florem, quo luculentius apparerent alae, quae in exemplari delineato, nimis ſunt paruae ac tectae: ſed in colorando ſaepe a natura et veritate receſſum eſſe valde dolemus. Cuius rei aliquot exempla afferamus. In Campanulae flore Tab. II. fig. 14. pro colore carneo debet eſſe coeruleus, et in fig. 21. Tradeſcantiae rubro colori, ſubſtituendus eſt, qui ex coeruleo ad rubrum tendit, id quod etiam de pilis in filamentis huius plantae valet, qui inſuper nimio colore plane ſunt turbati.

VII.

Enumeratio ſtirpium agro Tubingenſi indigenarum. Auctore I. F. GMELIN. Med: Doct: Tubingenſi. Tubingae litteris Sigmundianis. 8. ſ. a. *) plagg. 334. praeter praefationem et indices.

Clar. Auctor offert hic nobis floram, quae inter multas certe haud vltimum locum obtinet atque Auctori magnam gloriam conciliat, tum propter cognitionem botanicam, oeconomicam et medicam, quae vbique elucet, tum propter diligentiam in annotandis locis natalibus plantarum et reliquis obſeruatis. Quae apparebunt ex iis, quae dicemus.

Primo animus eſt, quaedam generaliora praemittere, quae totam enumerationem ſpectant: Laudatis IO: BAVHINI, FVCHSII et CAMERARIORVM meritis de re herbaria in academia Tubingenſi, qui vero plantas indigenas Tubingenſes non ordine enumerarunt, indicat, iam DVVERNOYVM ante quinquaginta annos deſignationem plantarum, circa arcem Tubingenſem florentium, edidiſſe atque promiſiſſe, ſe plura ſpecimina editurum eſſe. Cum vero DVVERNOYVS promiſſis non ſteterat, Noſter in ſe omnem laborem ſuſcepit, et partim quaedam mutauit in noua flora edenda, partim multa addidit; quae et Ipſe in praefatione enarrauit, et quae nos quoque obſeruauimus in ipſa flora perlegenda.

Pro nominibus Bauhinianis et Tournefortianis atque arbitrariis, quibus DVVERNOYVS vſus fuerat,

*) Sine dubio prodiit anno 1773.

Linnaeanas denominationes adhibuit, nouisque collectis plantis examinatis, loca natalia atque tempus florendi sollicite notauit. Non definitiones Linnaeanas, sed modo nomina triuialia plantarum nominibus genericis adposuit easque plantas, quae cum descriptione Linnaeana non satis conuenire viderentur, denuo descripsit ipsasque varietates interdum indicare non praetermisit. In nonnullis generibus etiam alios botanicos summos praeter LINNAEVM consuluit et sic in genere Caricum HALLERVM, in genere Rosarum HERRMANNVM atque curatissimum DU ROI *) et in genere Agaricorum GLEDITSCHIVM secutus est. Nonnulla genera summo studio atque diligentia pertractauit e. g. genera Rosarum, Orchidum atque Caricum. Addidit quoque in hac egregia flora semper plantarum virtutes medicas atque vsum oeconomicum tum in artibus tum in opificiis et damna, quae ex vsu nonnullarum metuenda sint, studiose collegit. Vnde patet fere omnes plantas circa Tubingam indigenas aliquem vsum praebere vel oeconomicum vel medicum. Optimos quoque Auctores, qui vel de singulis quibusdam plantis medicis aut venenatis scripserunt vel oeconomicum et medicum vsum tradiderunt diligenter commendat, ipseque Auctor commemorat vsum plantarum ita, vt praeter alia, et plantas pecoribus salubres accurate exponat notetque, quae ab iis comedantur, nec ne, simulque de plantis ad apium culturam pertinentibus, diligenter doceat. Adposuit etiam, praeter nomina triuialia botanica, non solum Germanica eaque interdum noua et bona fecit, sed etiam Graeca, Gallica, Italica, Anglica atque Belgica non omisit. In praefatione situm vrbis Tubingensis atque

*) v. comm. nostr. Vol. XX. p. 730.

atque regiones circa eam positas diligenter atque accurate descripsit. Auxilium Ei tulerunt in hac flora edenda Cl. OFTERDINGER Medicus Balingensis, Cl. HILLER Medicus Heilbronnensis, Cl. WEINMANN Medicus Reutlingensis atque Dn: SIEGEL Pharmacopaeus Vaihingensis, qui, nonnullis plantis obseruatis, earum locum natalem atque tempus florendi illarum Nostro indicarunt, quod semper in ipsa flora sincere fatetur, Cl. Auctor quoque nequaquam desperat, se floram Wirtembergicam editurum esse, quam itaque summa cupiditate exspectamus.

Nunc ad ipsam floram progrediamur. In ea vero primo nouas pleniores atque accuratiores plantarum descriptiones interdum prioribus addidit. Sic de *Veronica officinali*, *V. latifolia*, *V. cymbalarifolia*, *Anthoxantho paniculato*, *Iride squalente*, *Alopecuro pratensi*, *Auena sesquitertia*, *Scabiosa columbaria*, *Verbasco Thapso*, *V. lychnite*, *Rosa Gallica*, *R. semperuirente*, *Aquilegia vulgari*, *Ajuga Alpina*, *Polygala amara*, *Orchide coriophora*, *O. vstulata*, *O. latifolia*, *Serapinde latifolia*, *Carice vulpina*, *C. elongata*, *C. acuta*, nouas dedit definitiones probe et secundum terminos Linnaeanos magno cum studio compositas et sic fere per totam floram vbique tales descriptiones mox ampliores, mox breuiores inueniuntur.

Deinde quaedam obseruata botanica, oeconomica et medica noua proposuit, quae hic breuiter commemorabimus. Sic obseruauit, *Veronicae officinalis* radicem adstringentem, imbutam cucumeribus, gratiore imbui sapore. *Salvia pratensis* variat colore corollarum. Habet enim vel coeruleum vel rubrum, sed rarius, vel album colorem. Quod et p. 7. p. 9.

p. 25. nos obſeruauimus. Semina *Feſtucae rubrae* Mele-
p. 31. gridi Gallopauoni gratiſſima ſunt. *Arundo calama-groſtis* non comeditur a pecoribus, niſi coactis, et tunc aluum laxat. *Lolium perenne* ab equis man-
p. 61. me amatur. Lanugo *Verbaſco Thapſo* adhaerens
p. 69. moxae ſubſtituitur. *Rhamni cathartici* baccae Tur-dis pilari et iliaco gratiſſimae; meſſis tempore col-lectae, ſiccatae, aqua et alumine maceratae et ti-tae, croceo; autumno collectae, maturae et con-tritae atque aſſeruatae viridi; praeſertim ſi ſin tingenda antea cum foliis betulae cocta fuerint verſus Martini diem feſtum collectae, colore coc-cineo tingunt, ad tingenda coria et chartas luſoria vtili. Succus expreſſus in rob inſpiſſatus et gratia ſuperat et viribus aequat ſyrupum.

p. 81. *Tordylium latifolium* ob ſemina ſetis hiſpida, mar-gine non crenata, ad Caucalidem eſſe referendum Noſter autumat. Quod etiam ab Ill. LINNAEO fa-ctum eſt nominaturque ab eo *Caucalis latifolia* in Syſtematis editione XIII. per Cl. MURRAYUM.

p. 83. Floſculus *Dauci Carotae* vmbellae medius colore amoene rubro tingit. Semen vero ſemine ſatiuae
p. 88. varietatis acrius aromaticum eſt. Radix aromatica
p. 97. *Athamantae Ceruariae* hippiatris vſitata eſt. Bac-cae *Viburni Opuli* Tetraonibus praeſertim pabu-
p. 100. lum praebent. Arida folia *Droſerae rotundifoliae*
p. 103. liquores igneo colore tingunt. Radices *Ornithogali*
p. 118. *gali lutei et minimi* eſculentae ſunt. Flores odo-ratiſſimi *Daphnes mezerei* pictoribus pigmentum
p. 120. rubrum praebentes, lupos necant. Semina *Poly-goni auicularis* in annonae caritate cibum hominibus
p. 125. ſuppeditant. *Saponariae officinalis* pollen anthera-rum purpureo inquinat colore.

p. 130. Herba *Sedi rupeſtris* recepta eſt in officinas pharmaceuticas Wirtenbergicas atque dicitur, hanc herbam acrem vomitum ciere atque ſpecifice ſcor-

buto

buto reſiſtere. Fructus farinoſos crudos *Crataegi terminalis* ab incolis Wirtenbergiae comedi et cum Sorbi baccis conuenire, Noſter affirmat. Succus expreſſus *Sorbi domeſticae* fermentatione in muſti pyracei ſimilem liquorem abit. Stamina *Potentillae albae* nullam irritabilitatis praeſentiam Cl. Auctori oſtenderunt. Decocto *Aconiti lycoctoni* muſcae, cimices et pediculi equorum et boum necari poſſunt. LINNAEVS in ſpeciebus indicauit *Lamium maculatum* habere verticillos decemfloros; Noſter vero etiam vndecimfloros ſe inueniſſe monet. Semina *Thlaſpidis campeſtris* ſaliuae fluxum excitant et vlcera purgant. Folia punctato echinata quae *Alyſſo montano* Ill. LINNAEVS adſcribit, Cl. Auctor obſeruare haud potuit. *Cardamine amara* planta antiſcorbutica, vices Siſymbrii aquatici ſupplere poteſt. *Aſtragalus glycyphyllos* Galegae ſubſtitui poteſt.

Hyperici hirſuti flores inter digitos preſſi, rubro eos colore imbuunt. In vaginis genitalibus *Hieracii praemorſi* Noſtro nullam licuit obſeruare irritabilitatem. Capita *Carlinae acaulos* et extremitates eius ſucculentae, gratae et nutrientes, calice, floribus et ſemine reſectis inſtar capitum Cynarae Scolymi comedi poſſunt. Sed, vti nobis videtur, ſumenda ſunt prius capita huius Carlinae, quam floreant. Saltem hoc modo Cynara Scolymo vtimur. Armatus oculus GMELINI nihil irritabile in genitalibus *Gnaphalii dioici* obſeruauit. *Centaurea vniflora* non habet folia ſubdentata tomentoſa, vt Ill. LINNAEVS et MURRAYVS habent, ſed folia villoſiſſima nunc ſubdentata, nunc integerrima, atque florem ſolitarium terminalem, vti Noſter commemorat. Vis emetica et purgans, ſicuti Noſtro videtur, falſo *Impatienti noli me tangere* tribuitur. *Poterium Sanguiſorba* et *Sanguiſorba officinalis*

p. 144. p. 145. p. 157. p. 163. p. 178. p. 198. p. 199. p. 201. p. 225. p. 233. p. 240. p. 248. p. 252. p. 266. p. 269. p. 295.

p. 330. viribus inter ſe conueniunt. *Clauaria coralloides* eſculenta et phallo praeferenda eſt. Haec de Noſtri obſeruatis, quae in ipſa enumeratione obueniunt.

Nunc enumerare liceat quaſdem ſpecies Tubingenſi agro indigenas, quae in noſtris regionibus non reperiuntur. Huc referri meſetur: *Valeriana phu*, *Phleum Alpinum*, *Aira praecox*, *Arundo arenaria*, *Lolium tenue*, *Globularia vulgaris*, *Dipſacus piloſus*, *Aſperugo procumbens*, *Echium violaceum*, *Campanula pyramidalis* et *rhomboidalis*, *Lonicera Xyloſteum*, *Verbaſcum phlomoides*, *Ribes Alpinum*, *Gentiana lutea*, *Bauarica*, *ſpicata*, *amarella*, *ciliata* et *cruciata*, *Aſtrantia maior* et *minor*, *Bupleurum longifolium*, *ranunculoides*, *rigidum*, *Caucalis grandiflora*, *Laſerpitium latifolium*, *Liguſticum Peloponneſiacum*, *Viburnum Lantana*, *Aſphodelus ramoſus*, *Antherícum calyculatum*, *Aliſma ranunculoides*, *Dioſcorea Tamnus albus*, *Arbutus Vuedo*, *Gypſophila repens*, *Dianthus diminutus*, et *prolifer*, *Silene quadrifida* et *rupeſtris*, *Sedum ſtellatum*, *Cepaea* et *reflexum*, *Coraſtium ſuffruticoſum*, *Reſeda alba*, *Euphorbia Chamaeſyce*, *paralias*, *verrucoſa*, *amygdaloides* et *ſylvatica*, *Spiraea ſalicifolia*, *Roſa eglanteria*, *Alnus ſpicata*, *Ranunculus aconitifolius*, *niualis* et *chaerophyllus*, *Helleborus foetidus*, *Teucrium Botrys*, *Chamaedrys*, et *montanum*, *Stachys recta*, *Prunella laciniata*, *Euphraſia lutea*, *Pedicularis roſtrata*, *Draba incana*, *Lepidium latifolium*, *Thlaſpi peregrinum*, *alliaceum*, *ſaxatile*, *montanum*, *perfoliatum* et *alpeſtre*, *Alyſſum calycinum*, *Cardamine bellidifolia* et *reſedifolia*, *Heſperis inodora*, *Arabis Alpina* et *turrita*, *Polygala Monſpeliaca*, *Geniſta ſagittalis*, *Lathyrus aphaca* et *heterophyllus*, *Vicia piſiformis*, *Cytiſus nigricans* et *hirſutus*, *Coronilla coronata*, *Lotus*

Lotus cytiſoides, *Trigonella corniculata*, *Scorzonera humilis*, *Prenanthes purpurea*, *Hieracium Alpinum* et *Pyrenaicum*, *Hyoſeris foetida* et *radiata*, *Carduus acanthoides*, *ſerratuloides*, *Senecio incanus* et *Doronicum*, *Aſter amellus*, *Inula odora*, *Oculus Chriſti* et *infiſſolia*, *Doronicum plantagineum* et *Bellidiaſtrum*, *Chryſanthemum montanum*, *Alpinum* et *ſegetum*, *Anthemis Alpina*, *Ophrys corallorhiza*, *monorchis* et *inſectifera*, *Sparganium natans*, *Carex caneſcens*, *globularis*, *filiformis*, *ſaxatilis*, *capillaris*, *Fagus pumila*, *Aſplenium Scolopendrium* et *Trichomanoides*, *Hypnum clauellatum*, *Lichen deformis*, *Coniſtra glomerata*, *Agaricus cinnamomeus* et *mammoſus*, *Boletus luteus*, *Clauaria muſcoides* et *Lycoperdon ceruinum*.

Denique addemus nouas quaſdam ſpecierum deſcriptiones, easque examinabimus, vtrum nouae ſint, an non. *Scirpus culmo triquetro polyſtachyo, paniculâ foliaceâ diffuſâ, foliis alternis*, fortaſſe *marinus* LINN. (HALL. nomencl. 1838.) p. 14.

Panicum ſpicis ſubdigitatis erectis villoſis pedunculatis; foliis geminis, altero pedunculato mutico, altero ſeſſili ariſtato, vaginis foliorum vnicoloribus. p. 15.

Aira paniculâ coarctatâ, foliis ſetaceis aut linearibus hirſutis ciliatis, calicibus ſeſſilibus ſubtrifloris, floribus [illegible]. Propinqua *caneſcenti* LINN. videtur. p. 20.

Poa paniculâ diffuſâ, ſpiculis biforis, totis glabris, culmo ſubrecto tereti. Fortaſſe varietas ſequentis. p. 23.

Poa culmo recto, glumis ſubbifloris, panicula laxa, ſpiculis ſubalternis pedunculatis, foliis inuolutis pungentibus. (HALL. nomencl. 1470.) p. 332.

Poa panicula diffuſa, ſpiculis triforis glabris compreſſis, culmo aſcendente, foliis glabris anguſtis neruoſis et mollibus. (HALL. nomencl. 1465.) p. 32.

Lolium ſpica lanceolata, ſpiculis alternis ſeſſilibus multifloris muticis ſubremotis.

Lolium

Lolium ſpica ariſtata: ſpiculis teretibus ariſtatis
p. 37. *ſexfloris. Scabioſa corollulis quinquefidis radiantibus, caule ſubnudo perfoliato, foliis caulinis pinnatis, pinnis pinnatifidis ſublanceolatis, extima maxima crenata. Scabioſa corollulis plerumque quinquefidis radiantibus, caule nudo, foliis radicalibus bipinnatifidis. Galium foliis infimis octonis, mediis et ſuperioribus ſeptenis glabris linearibus, caule ramoſo procumbente.* Videtur varietas *G. Molluginis* LINN. elle
(SCOPOLI Fl. Carn. p. 104.) *Galium foliis plerisque octonis ſcabris, integerrimis, obouatis, linea media depreſſa exaratis, caule ramoſiſſimo. Galium foliis verticillatis linearibus, caulibus dichotomis in ſummo et medio floriferis.* Vtraque *Galia* varietates vnius ſpeciei videntur et cum *G. aſpero* SCHREBERI (Spicil. Fl. Lipſ. p. 3.) multum conueniunt.

p. 58. *Campanula ſubhiſpida, caule ramoſo foliolo, foliis lanceolatis ſubſerratis, corollis erectis, calyce longioribus. Campanula caule ſimplici glabro, foliis ſeſſilibus glabris linearibus anguſtis argute ſerratis, floribus erectis pedunculatis, ſecundis terminalibus. Campanula foliis latis lanceolatis hiſpidis ſubſeſſilibus, caule ramoſo angulato, floribus ſecundis pedun-*
p. 333. *culatis, calycibus hiſpidis magnis patulis. Campanula foliis imis ouatis, inferioribus lanceolatis, ſuperioribus linearibus, caule ramoſo multifloro glabro.*
p. 80. *C. rotundifolia* LINN. *Sanicula foliis radicalibus compoſitis digitatis, foliolis inciſis ſerratis, ſuperioribus*
p. 82. *omnibus ſeſſilibus. Caucalis inuolucro vniuerſali nullo, partiali dimidiato triphyllo; foliolis ſimplicibus lanearibus, foliis triplicato pinnatis.* Videtur *Caucalis*
p. 334. *Bunius* LINN. *Linum caule ſimplici vnifloro, foliis oppoſitis ouatis, determinate diſtantibus.*

p. 140. *Euphorbia vmbella quinquefida, bifida, inuolucellis ſubcordatis, foliis ſuborbicularibus linearibus obtuſiuſculis crenulatis. Euphorbia foliis crenatis alternis*

alternis lanceolatis acutis, floribus terminalibus, caulibus erectis. *Euphorbia* herbacea inermis, foliis cochleariformibus crenulatis, floribus congestis terminalibus, involucellis subrotundis crenulatis. *Rosa* germinibus ouatis, caule, petiolis pedunculis et foliis glaberrimis. *Rosa* germinibus ouatis, petiolis pedunculisque hispidis, caule glaberrimo inermi. Forte varietates *R. caninae* LINN. *Rosa* germinibus ouatis, petiolis pedunculisque hispidis, caule aculeato. An *R. Gallica* DU ROI? *Rosa* germinibus ouatis, versus ovarium hispidis, caule petiolisque aculeatis, pedunculis hispidis. Videtur *R. moschata* DU ROI esse. p. 151.

Rosa germinibus ouatis et caule aculeatis, petiolis pedunculisque hispidis. *R. damascena* DU ROI. p. 152.

Ranunculus calycibus retroflexis, pedunculis sulcatis, caule erecto multifloro, foliis compositis lineari multifidis amplexicaulibus. Est *R. auricomus* LINN.

Cheiranthus foliis integerrimis pilosis sessilibus; radicalibus ouatis, caulinis lineari lanceolatis, caule procumbente ramoso. p. 204.

Turritis foliis omnibus glaberrimis, integerrimis, caulinis obouatis obtusis, amplexicaulibus; radicalibus cochleariformibus subemarginatis. Sine dubio *Turritis* 454. HALL. p. 205.

Orobus caule ramosissimo, foliis pinnatis ouatis mucronatis, stipulis sagittatis integerrimis. p. 218.

Lotus capitulis hirsutis quadri aut quinquefloris, caule erecto glabro tetragono; *Loto* recto LINN. vicinus. p. 230.

Chrysanthemum foliis pinnatifidis dentatis subamplexicaulibus, caule unifloro folioso anguloso. Sine dubio *Pyrethrum* 97. (HALL. nomencl.) p. 261.

Viola caule ascendente, foliis cordatis subrotundis. p. 269.

Orchis bulbis subpalmatis rectis, nectarii cornu breuissimo, germinibus longe breuioribus, labio quinquefido piano, bracteis flore longioribus. His breuioribus descriptionibus interdum etiam pleniores adnexit. p. 275.

Has

Has igitur plantas, quas ipſe Cl. Auctor, cum nullum laudet auctorem alium, nouas habet, interdum aliquatenus, cum Auctorum, quos nouimus passim, descriptionibus conueniunt: sin dubio tamen vlterius descriptionibus et iconibus sunt curatius definiendae.

Omittimus plures, quas addidit nouas Carices, in quibus commemorandis ipse Noster saepe ob similitudinem et ambiguitatem dubius manet.

Adiecit vltimo loco Cl. Auctor docto suo libello duos indices, alterum Germanicum specierum, alterum Latinum generum.

VIII.

Dissertatio inauguralis chemico-medica de optima acetum concentratum eiusdemque naphtham conficiendi ratione, vtriusque affectionibus et vsu medico. Auctore IO. CHRISTOPHORO WESTENDORF Wesmarienſi 1772. Goetting: litteris Io. Henr. Schulz. 4. plag. 10.

Adeo huic dissertationi copiosa insunt experimenta, tamque vtiliter obseruata, vt et chemicis et medicis commendari promereatur. Conferibendae occasionem praebuit Alcohol acidi Ehrenreichianum *), quo tamen longe adhuc concentratius aceti acidum parari posse docetur.

p. 2. Nascitur acetum, si vinosus liquor denno fermentando magnam molecularum inflammabilium et terrestrium disiunctarum partem ex se entrudit

*) vid. D. SCHWARZ. *Verwahrungsmittel gegen die Peſt, nebſt einer Abhandlung vom concentrirten Eſſig-Geiſt.* Danz. 1771.

et praecipitat. In harum ſeparatione omni modo inuanda aceti poſita eſt concentratio, quam chemici multis modis, frigore, rectificatione, abſtractione ex viridi aeris, vel deſtillatione poſt praegreſſam per ſal tartari ſaturationem cum acido vitriolico tentarunt. Noſter concentrando aceto alcali minerale adhibet, quod ex Soda obtineri poteſt. Huic ad ſaturationem admiſcuit acetum vel vini, quod praeſtat, vel cereuiſiae. Naſcuntur inde cryſtalli, Glauberianis ſimiles, in puluerem fatiſcentes, quas, vt efficaciores minuſque pretioſas terrae foliatae tartari Auctor Cl. praefert. Ex harum cryſtallorum P. 7. ſicco puluere cum adiecta olei vitrioli dimidia parte deſtillatur nunc concentratiſſimum acetum, quod purum erit, ſi ſolutiones acidis mineralibus factas plane non turbat. Libra cryſtallorum ciuilis libram circiter aceti fortiſſimi medicam dedit.

Naphtha aceti fit ex partibus aequalibus aceti P. 8. huius et Spiritus vini rectificatiſſimi, ex retorta igne admodum leni ad dimidiam fere totius partem deſtillatis; liquori abſtracto admiſcetur ſalis tartari pars ſexta decima in aquae quatuor partibus ſolutae. Sic commodo vitro ſtatim ſeſe ſeparat Naphtha vtque oleum ſupernatat. Odor vini Rhenani, vires ipſi inſunt anodynae, antiſpaſmodicae, praecipue ad tuſſim infantum conuulſiuam. Doſis paullo maior, quam vitriolicae. Quo diutius digeritur mixtura aceti et ſpiritus, eo maior inde obtinetur naphthae copia.

Adiicit Auctor Cl. ſe confeciſſe naphtham ex P. 13. ſpiritu vini rectificatiſſimo, cum *ſalis vrinae* ob ſimilitudinem *mirabilis* dicti, a fuſibili vrinae diuerſi acido, nec non verum *vini oleum* ex eodem vini ſpiritu ſeorſim deſtillato.

Acetum

Acetum concentratum Auctoris noſtri ſolvit, non quidem aurum, eius tamen calcem, tum fulminantem, tum fixam (Hic etiam naphthae aceti ſoluens in aurum tentata eſt.) argenti, mercurii calces, (vbi Tragearum Heyſerianarum mentio fit) cuprum, plumbum, ſtannum, martem limatum,
p. 40. quocum ſal cryſtallinum, rubrum, aquam ſanguinis colore imbuens, ſaporis dulcis non adeo aſtringentis formauit; porro marcaſitam, regulum antimonii ſimplicem et zincum, quod itidem cryſtallinum ſal ſic largitur.

p. 51. Cum ſale tartari puro exhibuit cryſtallos longas cuſpidatas, leni calore manus inque aëre facile deliqueſcentes, ſaporis paullo, quam terra ſolita tartari acrioris, in fine dulcis. Cum alcali minerali poſt ſaturationem dedit liquorem, qui ſub lenta euaporatione inſpiſſatus ſal praebuit ſiccum, poſt fuſionem, ſolutionem, filtrationem et inſpiſſationem ad ſyrupi conſiſtentiam nullas cryſtallos, ſed, elapſis aliquot diebus, coagulum demum ſub calore ſubito et exhalatione acetoſa volatili forti largiens ſaporis manifeſte dulcis et refrigerantis, cum antea ſapor eſſet acris et calefaciens. Vtrum forte hoc eſſet BASILII VALENTINI, KVNCKELII aliorumque Alchemicorum ſal dulce ex ſale communi et aceto fortiſſimo parandum? Aurum tamen via ſicca haud ſoluit.

p. 54. Sal volatile ammoniacum ſiccum aceto iſto ſaturatum dedit liquorem medium limpidiſſimum, non cryſtalliſabilem, qui deſtillatus ex retorta ad ſiccitatem in recipiens vas dimiſit duplicem ſubſtantiam, vnam fluidam, alteram glacialem, pellucidam facile calore ſolubilem, verum ſal medium ſolidum ſaporis admodum acris, vltimo dulcis.

Soluit

Soluit praeterea acetum noſtrum terram calcaream, terram aluminis et alcalinam ſ. magneſiam, phoſphorum porro vrinae, oleum deſtillatum Anthos verum, gummi galbanum, copalinum et camphoram.

Sanguinem cito coagulat adeoque indurat, vt poſt aliquot dies in fruſtula frangi poſſit. Serum ſanguinis poſt aliquot minuta in gelatinam contrahit, aqua tamen et noua aceti iſtius parte rurſus ſolubilem. Ipſe ſanguis putredine reſolutus hoc aceto affuſo coagulatus denuo eſt et demto putrido odore ſaluus quoque manſit. p. 59. p. 62.

Affinitatis gradus hos ex experimentis ſiſtit. Acetum concentratum, phlogiſton; ſal alcali fixum; terra calcarea, ſal volatile vrinoſum; zincum, plumbum; mercurius, marcaſita; regulus antimonii; argentum; ſtannum; ferrum; cuprum, denique aurum.

Aceti huius affectiones ſunt, quod acidis vegetabilibus ceteris ſit fortius, reliquis vero acidis omnibus volatilius, penetrantius, purius, ſimplicius. Vis eius medicata temperans, antiſeptica, reſoluens. Guttae illius circiter viginti ſingulis horis ſumtae e potu congruo in putridis egregie conducunt. Pellit ſudorem et vrinam. Laudatur in ſphacelo, angina putrida cum aequali in vtroque caſu mellis roſati proportione. In angina quoque multum ſperat Auctor a vaporibus eius inhalatis. Multum pollicetur in putridis ſcorbuticis vlceribus, in carie oſſium, dentibus carioſis, gingiuis adeſis. Si cum alio contemperetur ſuppurationem quoque promouere poſſe videtur. p. 64. p. 66.

Inſunt praeterea huic diſſertationi alia de aliis rebus chemicis ſcite obſeruata docteque expoſita;

quae repetere hic copia ipſorum, et contrahere perſpicuitas haud patitur, ex his tamen pauca adhuc delibabimus.

Quum auri ſolutionem acetoſam lixiuio ſanguinis ac.doque minerali praecipitatam pulcerrimum caeruleum magiſterium praebere enarraſſet Cl. Auctor, p. 21. animaduertit, ſe innumeris experimentis edoctum ſcire, plurimas terrae ſpecies, tam metallicas, quam non metallicas ope lixiuii alcalini iſtius phlogiſticati ſub diuerſis encheireſibus forma caerulea praecipitari poſſe. p. 20. Ad auri fulminantis generationem ſal quoddam vrinoſum ſiue cauſticum praeter oleum nitri ſemper neceſſarium eſſe cognouit. Receptam opinionem, quod ſtannum nil ad colorem p. 39. auri calcis purpureum conferat, vocat in dubium. Ex zinci cryſtallis acetoſis cum ſalis tartari ſiccioris parte vna et dimidia calcinatis; nec non ex maſſa pro lixiuio ſanguinis parando calcinata, p. 48. odorem vrinoſum, immo verum ſpiritum volatilem proceſſiſſe obſeruauit, quinquies in eadem maſſa repetita calcinatione ſemper nouum alcali volatile foenerante. Quod tribuit Cl. Auctor phlogiſti tum zinci tum ſanguinis cum alcali fixo combinationi; adeoque ex ſuis experimentis infert, ope phlogiſti ſalis alcali fixi vncias ſex adeo volatilitatis eſſe, vt vix dimidia eius vncia fuerit relicta valde p. 58. inſuper naturae mutatae. Gummi Copal cum aceto iſto tractatum, aliqua ipſius parte ſoluta, reliquiſſe in fundo maſſam, quae inſtar *reſinae elaſticae* per longum tempus in aëre tenacitatem retinuerit.

IX.

IOH. CHRISTIAN WIEGLEB's, *Apothekers in Langenſalze, Chemiſche Verſuche über die alkaliſche Salze. Berlin und Stettin bey Friedrich Nicolai* 1774. 8. *S.* 272.

h. e.

Tentamina chemica ſuper ſalibus alcalinis Auctore IO. CHRISTIANO WIEGLEB.

Iam alibi *) commendauimus Lectoribus noſtris WIEGLEBII V. Cl. induſtriam. Eius nouum ſpecimen offert liber, quem iam indicamus. Abſoluitur iſte quinque ſectionibus. Prima hiſtoriam ſiſtit opinionum et hypotheſium, quas de ſalibus alcalinis Chemici varii condiderunt. Altera tentamina enarrat, quae ad ſalia eiuſmodi fixa obtinenda cum variis vegetabilibus inſtituta ſint. Tertia refert experimenta propterea ſuſcepta, vt intelligeretur, vtrum ex putatitiis iſtis vulgo ſumtis alcalinorum partibus conſtituentibus vere ſal fixum alcalinum parari poſſet. Quarta argumenta profert, quibus probatur, ineſſe vegetabilibus natura ſua, et ante incinerationem ipſorum ſal tale. Quinta euincere ſtudet, ipſum alcali volatile animalibus vegetabilibusque ante combuſtionem et putrefactionem vere et eſſentialiter, vt aiunt, inhaerere indeque educi poſſe. Adiecta eſt dilucidatio dubii gradus affinitatis chemicae, quae alcalina ſalia acidaque varia intercedit.

Quae autem mouerint Cl. Auctorem, vt relictis communibus fere de alcalinorum ſalium exortu placitis in vetuſtiorum quorundam chemicorum et maxime Cel. MARGGRAFII ſententiam tranſiret,

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 489.

qua non naſci comburendo, ſed educi ſic ſaltim ſtatuitur, ex numeroſis experimentis deſumta argumenta praeciqua quidem haec ſunt.

p. 81. Scilicet quum ſpiritus acidus oleumque adustum ligni fagini denuo affunderentur cineribus ipſius elixiuiatis, inſuperque adderetur ſal lixiuioſum inde prius elicitum, cuius tamen pondus antea ad ſtateram exacte erat definitum, atque horum omnium deſtillatio quater repeteretur; tantum abfuit, vt hac ratione ſalis fixi alcali vllum impetraretur augmentum, vt potius vel priſtino pondere deceſſiſſe quicquam animaduerteretur.

p. 87. Scobs ligni fagini repetitis vicibus ex aqua deſtillata cocta exhibuit in deſtillatione partes eadem eademque propemodum copia, quas quidem quantamque nondum excocta largitur. Veruntamen ex coctae iſtius cineribus ſalis lixiuioſi nihil prorſus inhaeſit.

p. 91. Ita neque lintei excocti et combuſti cineres ſal quoddam foenerati ſunt. Tartarus vero crudus eius cryſtalli et ſal acetoſellae ſal multum praebuerunt. Verum et his ſalibus vegetabilibus eſſentialibus, vtut aceſcentibus, iam ante incinerationem ipſorum ſal ineſſe alcalicum tum exinde probat, quod ſaccharum cera et reſina, quamuis pariter atque iſta ſalia oleo quodam, acidoque ſpiritu atque terra foeta corpora ſint, inter comburendum tamen alcali nullum; gummi et mel parciſſimam tantum illius quantitatem offerant, tum quoque vel maxime confirmat experimentis Cel.

p. 135. MARGGRAFII ſumma cum accuratione repetitis; ex quibus patet: cryſtallos tartari puluerilatas cum aequali, quam neceſſariam cognouit Cl. Auctor olei vitrioli, aqua tamen deinceps ſufficienter diluendi portione remixtas, addita pauca creta, acidum

acidum ſuperabundans abſorbente, poſt ſeparatum ſeleniten verum dare tartarum vitriolatum, eiuſdemque eandem proxime copiam, quam ex pari pondere cryſtallorum tartari calcinatarum enatum ſal tartari, acido vitriolico ſaturatum praebere ſolet. Quod quidem egregium experimentum aliquoties repetitum eodem ſemper euenit modo.

Pari ratione ſucceſſit negotium cum ſpiritus p. 141.
nitri quadruplo cryſtallis tartari affuſo additaque creta, acidum ſuperfluum ſaturante. Scilicet eandem ferme quantitatem nitri puriſſimi priſmatici obtulerunt ſic tractatae cryſtalli tartari, ac ſi comburendo ex ipſis exortum ſal tartari acido nitri eſſet in medium ſal ſaturatum. Quin immo etiam ſaturatiora decocta variarum plantarum, interque has euidentiſſime cicutae, arnicae et ligni ſagini aliaque obſcurius, addito acido vitriolico, exhibuerunt cryſtallos paruulas, tartaro vitriolico geminas. Sic etiam communi variorum chemicorum teſtimonio cognitum habetur ex ſuccis vegetabilium expreſſis ſalia vera media nonnunquam concreſcere, v. c. tartarum vitriolatum, nitrum priſmaticum, ſal digeſtiuum SYLVII. Quae quidem cuncta efficiunt, ſal fixum iam ante combuſtionem in plantis praeexiſtere, neque, vt aſſumebatur, ex acido, oleo, terraque inter deflagrandum demum naſci; inprimis quum ex aſſumtitiis iſtis principiis nulla arte alcali confici poſſit.

Verum ne in his quidem ſolers Cl. WIEG- p. 159.
LEBII induſtria ſubſtitit, ſed etiam ad ſalia alcalina volatilia progreſſa eſt, viditque ex variis tum animalibus integris, tum partibus eorum fluidis aeque, atque firmis recentibus, non combuſtis neque putrefactis in deſtillatione humida cum ſale alcalino fixo ope lenis caloris peracta liquores elici, qui et odore et reactione ad ſpiritum nitri

admotum, oleum tartari per deliquium, acida mineralia affusa, syrupum violarum, calcem cupri, aquam calcis, solutionesque mercurii et argenti vrinosam suam indolem sufficienter comprobarent, vnde quidem cogit Cl. Auctor, praeformatum ita contineri in animalibus alcali.

p. 178. Ne vero ex Cl. WESTENDORFII experientia superius *) laudata circa alcali vrinosum sese in massa pro sanguinis lixiuio calcinata toties manifestans peti forsitan argumentum in contrarium posset, omnem rem nouo examini subiecit. Ergo seorsim calcinauit quatuor vncias sanguinis bubuli in crucibulo leni igne. Primo vapores multos emisit, dein flammam concepit. Sic arsit per horam integram. Cessante vapore flammaque carbo candidus, nigerrimus post exemtionem ponderis drachmarum sex. Hunc carbonem per duas horas adhuc vsit, vt semper candaret; intra quod tempus perpetuo sese alcali vrinosum in exemta calcis parte odore et fumo cum spiritu nitri admoto albedo adhuc manifestauit. Tandem remansit pulvis fuscus, ponderis sesquidrachmae, sine vestigio alcali volatilis, saporis salsi, ex quo educta sunt salis alcali fixi grana tria vel quatuor, tartari vitriolati vnum vel alterum, salis regenerati quicquam, terra calcarea, aluminis et talis, quae cum lixiuio sanguinis daret caeruleum magisterium.

Ex hoc experimento concludit Noster, Cl. WESTENDORFIVM non per aliquam volatilisationem alcali fixum, phlogisto accedente, in volatile mutasse, sed potius ex sanguine vrinosum alcali fuisse eductum; eius viri sex repetitis calcinationibus nondum omne alcali eiectum esse, quum nullam

*) vid. comm. nostr. Vol. hoc p. 218.

lam tamdiu profequeretur, atque quidem Cl. Auctor. Aggreditur quoque volatilisationem ſalis alcalini fixi, quam imminuta eius cum ſanguine calcinati copia verosimilem reddere Weſtendorfianis tentaminibus poterat, alio experimento, in quo manifeſto declarat iacturam ponderis tribuendam potius eſſe diſſlationi humidi et penetrationi ſalis in crucibula, quorum pondus inde vere augetur.

In plantis reperiri alcali volatile, parciori licet copia, confirmare ſtudet Auctor ex fuligine; porro ex liquoribus alcalinis, qui deſtillatione plantarum variarum humida cum cineribus clauellatis impetrati ſunt, aeque ſeſe atque animales ſupra dicti vrinoſos probantes; et quos aeque atque hos, limii ſanguinis ad inſtar, ſolutionem vitrioli martis in calcem caeruleam praecipitare vidit. Denique per experimenta oſtendit HIERNIOque adſtipulatur, etiam ex aceto vini, tartaro, oleoque oliuarum cum calce extincta ſaleue fixo remixtis deſtillari poſſe liquores ſale volatili impraegnatos, quod ſal volatile pro educto itidem habet, et ſic quoque obſeruationem ſalis volatilis ex cryſtallis zinci aceroſis WESTENDORFII cum alcali fixo calcinatis coorti explicari poſſe arbitratur ſine noua alcalini volatilis ſalis geneſi aſſumta. p. 195. p. 179. p. 228.

Contendit porro Noſter contra Viros Clariſſimos GEOFFROY, MACQUER, GELLERTVM et MARRHERR alcalini fixi ſalis maiorem eſſe affinitatem cum acido vitriolico, quam phlogiſti, quum nonniſi ſub certis conditionibus, quando nimirum acidum vitriolicum per alcalinum ſal fixum redditum, ſalque medium enatum ignitum eſt, ſicque phlogiſton vi quadam vitriolico acido iniungitur, aequalis alcalini ſalis et phlogiſti cum iſto acido affinitas animaduertatur. Ita quoque affinius p. 255. p. 264.

affinius esse sal alcali vegetabile acido vitriolico, nitroso et acetoso, quam sal alcali minerale, quum addito sale tartari ex solutionibus salis mirabilis GLAVBERI, nitri cubici et terrae foliatae tartari crystallisabilis leniter euaporatis verus tartarus vitriolatus, nitrum prismaticum et terra foliata
p. 265. tartari deliquescens obtineri queant. Vltimo exercit, quod in quibusdam experimentis dubium reddi videtur, salia nimirum lixiuiosa et volatilia lubentius iungi acidis, quam terras absorbentes.

X.

De Alcalibus et praecipitationibus Chemicis ope eorum factis quaedam disserit IO. FRIDERICVS GMELIN Med. D. et P. E. Phil. P. O. Acad. Caes. et Soc. Reg. N. C. Sodalis. Goetting. litteris Io. Chr. Dieterich. 1775. 4. plag. 3½.

Agit Cl. Auctor hac prolusione Academica, qua ad orationem pro capessendo professoris publici munere habendam inuitabat, omnium maxime hoc, vt praemissis alcalinorum notis et diuisionibus atque singularibus quorumcunque dotibus enarratis calcem viuam, sal causticum et spiritum salis ammoniaci causticum peculiarem velit constituere salium alcalinorum classem, quorum character specificus in eo consistat, quod cum acidis non ferueant, male propterea a nonnullis Chemicis pro salibus vel acidis vel mediis habita.

Ad quam rem exornandam et confirmandam vtitur tum suis, tum Virorum Clarissimorum, mirum licet in modum quoad explicationem phaenomenorum dissentientium, MAIERI, IACQVI-

NII,

rii, WIEGLEBII, SPIELMANNI, TAE-
beri, WELLII experimentis tam ſcite et
opportune, vt in ſuas partes Lectorum quemuis
facile rapiat. Inuenient quoque Lectores, ſi vllibi,
hic maxime, relationes alcalinorum ſalium ad varia
naturae corpora et inſtrumenta chemica phyſica
egregie et ampliſſime expoſitas.

XI.

Obſeruationes quaedam chemicae, Auctore IO. GOTTFRIED LEONHARDI Philoſoph. et Med. D. Lipſiae ex offic. Langenheimia. 1775. 4. plag. 1½.

Quae hic exponuntur lectu dignae obſeruationes, imprimis concernunt butyrum antimonii, quod ſub forma cryſtallina deſtillando acquiſiuit Noſter ſubque metallica praecipitari vidit. Scilicet ex miſcela vnius partis antimonii ſubtiliſſime triti et totam partium mercurii ſublimati corroſiui, per ſemeſtre in vaſe non penitus clauſo ſeruata, et ſic in maſſam tenacem, humeſcentem et ſubgriſeam conuerſa tranſire vidit in deſtillatione ab initio humorem albidum, dein butyrum craſſius, prunis admotis, vt fit, colliquefaciendum. Finita deſtillatione, vaſisque refrigeratis, recipienti infuit liquor turbidus, maximam iam partem coagulatus in cryſtallos, quae iunctim ſpectatae trabes quaſi ex tenilla, ſeorſim examinatae formam hexaedram, vtcunque cubicam referebant, coloris cum pelluciditate albi, magnitudinis granorum milii vel etiam lentium. Per octiduum ſeruatae iſtae cryſtalli diffluxerunt in liquorem ſublacteum, haud amplius cryſtalliſabilem. Vnde concludit Noſter

butyri antimonii vnctuoſam naturam naſci ex congerie inordinata paruularum cryſtallorum, ſolubilem tamen rurſus, calore inprimis deliqueſcentem, comparatque cum nitro zinceo, ex zinco in ſpiritu nitri ſoluto ab ipſo parato et in cryſtallos priſmaticas coacto, facilis tamen deliquii. Cauſam melioris in experimento viſae cryſtallifationis repetit ex intimiori per moram facta corroſione reguli antimonii per acidum mercurii ſublimati muriaticum.

Quod praecipitationes butyri antimonii attinet, praeter vulgares, per aquam, ſpiritum vini, lixiuia et ſpiritus alcalinos faciendas, ſub forma metallica excuti obſeruatus eſt regulus antimonii feliciſſime a ferro puro, cui primo vt ſplendor argenteus, dein vt lamina integra inhaeſit, reliqua metalla excuſſerunt quidem neque tamen cum iſto ſplendore; aliqua etiam ſub albi tantum puriveris forma. Aurum et argentum vt praecipitantia adhibita non ſunt. Ex hac vero praecipitatione reguli antimonii per ferrum oſtenditur, quam falſa nonnullorum opinio ſit de metallis grauioribus non niſi per leuiora ex ſuo menſtruo deiiciendis.

Vltimo narratur, camphoram cum ſpiritu ſalis fumante digeſtam ſolui, idque comprobatur ex praecipitatione eiuſdem per aquam, cui ſic digeſti ſpiritus ſalis guttulae infunduntur.

XII.

Ξενοκράτους περὶ τῆς ἀπὸ ἐνύδρων τροφῆς cum Latina interpretatione IO. BAPTIST. RASARII et CONRADI GESNERI scholiis nunc primum integritati restituit varietate lectionis animaduersionibusque illustrauit atque glossarium adiecit IO. GEORG FRID. FRANZIVS. Lips. apud Guilielmum Gottlob Sommerum 1774. 8. pagg. 104. praeter glossarium in XENOCRATEM.

Graeci huius veteris medici liber, cuius hic nouam editionem curauit Cl. FRANZIVS, vbi variae lectiones ad marginem editionis GESNERI scriptae et ex codice regio Parisiensi et Vaticano notatae a Nostro sunt additae, quae Ei multum seruire videntur ad meliorem Auctoris huius intelligentiam, extat in ORIBASII collectorum ad IVLIANVM libro secundo e septendecim cap. 55. vnde et Noster, BAPTISTAE RASARII interpretationem descerpsit.

Quod ad codices attinet, e quibus variae vtiles lectiones a Nostro huic editioni adiectae, sunt deriuatae, affirmat Noster, codicem Parisiensem *) esse eum chartaceum Colbertinum, qui seculo decimo quinto exaratus videtur; de codice vero Vaticano simul XENOCRATIS libellum περὶ λίθων, hactenus nondum typis descriptum, vti putat Noster, comprehendente, nihil ei constare; nec praeter LABBEI **) relationem aliquid de eo reperire potuisse. Vixisse fertur hic XENO-

*) vid. Catalog. biblioth. Reg. Parisiens. Tom. II. MCCXC et XC. p. 477.

**) v. EIVSD. bibl. nou. M. S. p. 174. et 127.

XENOCRATES tempore Imperatoris TIBERII, saepe a GALENO atque PLINIO laudatus.

Noster vero hoc opusculum 1559 Tiguri a CONRADO GESNERO vulgatum denuo edidit et addidit, praeter varias lectiones e codicibus, ut supra monuimus, IOANNIS BAPTISTAE RASARII medici Nouariensis, interpretationem Latinam, quae vero non Basileae primum edita est 1557, sed Venetiis sine anno et Parisiis 1555. Quae hic notata sint e IO. ALBERTO FABRICIO *) qui ex manuscripto PAVLI VINDINGII bibliothecae suae libellum hunc inserendum curauit RASARII interpretatione, et omnino ad historiam criticam pertinent, hic breuitatis ergo mittimus. IO. GEORGIVS SCHENCKIVS **) haec habet de XENOCRATE: Medicus clarissimus in arte medica, libros conscripsit, e quibus PLINIVS in l. XXI. et sequentes naturalis historiae infinita propemodum transscripsit. GESNERI et VVOTTONI annotationes sunt multae.

*) Bibl. graec. Tom. IX. V. c. 38. p. 453. seqq.
**) Biblioth. Iatror. p. 282.

XIII.

ocietatis medicae Haunienſis collectanea. Cum figuris aeri inciſis IV. Volumen I. Hauniae 1774. Impenſis Io. Gottlob Rothe Aulae atque vniuerſitatis regiae bibliopolae. 8. pagg. 376. praeter praefamen et elenchum.

Vndecimo die octobris MDCCLXXII. primum ſuum conſeſſum celebrauit haec ſocietas, cuius cii in ſuam non minus, quam aliorum vtilitatem nt congreſſi. Socii ſunt PETRVS CHRISTIAVS ABILDGAARD, HENRICVS CALLIEN, MATTHIAS SAXTORPH, IOANNES HENRICVS SCHOENHEYDER, IOANNES CLEMENS TODE, qui huic ſocietati eſt ab epiſtolis, FRIDERICVS LVDOVICVS BANG VRBANVS BRVVN AASKOW. Inſtituti praeterea rationem arbitramur optime patere ex ſumma primi huius voluminis, quam hic communicamus.

1) *De eximia ſalis tartari efficacia in rhachitide* p. 1. auctore PETRO CHRISTIANO ABILDGAARD. Erat puer ſeptennis, valde rhachiticus, diarrhoea et ſudore continua emaciatus et quinque vlceribus turbatus fiſtuloſis. Inferiores extremitates reſolutae et immobiles erant, abdomen flaccidum cet. Hic conducebat egregie ſalis tartari drachma dimidia cum vnciis octo decocti corticis Peruuiani; huius medicamenti quatuor vncias de die ſumebat. Poſt menſem e lecto ſurrexit et manibus ſuſtentatus aliquo modo incedere potuit. Tunc loco corticis rubiam tinctorum Noſter addidit. Quo ſolo remedio intra quatuor menſes adeo conualuit, vt plerisque vlceribus conſolidatis, baculo

culo nitens iam incederet aegrotus. Hunc bonum effectum Noſter ſolummodo tribuit ſali tartari affirmat, ſe ſola ſolutione aquoſa ſalis tartari et rhachiticos curaſſe.

p. 7. 2) *De funiculis vmbilicalibus infantum nodoſe complicatis* Auctore MATTHIA SAMTORPH. Omnino nodi in funiculo vmbilicali periculoſi et letales iudicantur, vti et Cll. viri SMELLIE et LEVRET docuerunt; Noſtri autem obſeruata monſtrant contrarium. Exponitur hic primum a Noſtro nodorum origo, additis periculis quibus expoſiti ſint embryones his nodis praeditis, et ſignis, quibus naturales nodi a ſpuriis arte factis diſtingui poſſint, ſuadetque inprimis, ut caute trahant obſtetrices funiculum, nec vllam eius partem vltra, quam requiritur, protrahant. Spurii nodi eiusmodi ſpurii ſeu arte facti ſunt: nulla ſtructurae ſuae in funiculo vmbilicali, nodo explicato, mutatio, nullum inueterati nodi veſtigium, nulla parietum complanatio. Nam recens factus nodi complicatio impedit, quo minus ipſe funiculus tam cito impreſſiones, curuaturas et gyros retineat iis ſimiles, qui ex lenta et naturali nodorum contricatione oriuntur. Deſunt praeterea ſpuriis nodis varicoſae expanſiones.

p. 19. Porro ſi minus conſtrictus fuerit nodus, ſi extremitates funiculi plane non turgeant, ſi vaſa iniectum liquorem tenuem, quem Noſter ad nodos illos diſquirendos maxime aeſtimat, facile tranſmittant, nodum, ſiue fuerit naturalis, ſiue artificialis, abſolute mortem intuliſſe vix Noſtro videtur probabile, niſi alia impedimenta ſiue ante, ſiue after partum per ſubitam conſtrictionem accidentaliter eum reddiderunt letalem.

3) De

3) *De vermibus obſeruata* Auctore IOANNE CLE- p. 21.
MENTE TODE. Signis verminoſis iure meritoque a Noſtro dubiis et fallacibus habitis, et fallacia hac exemplis nonnullis declarata, experientia didiciſſe Cl. TODE affirmat, lumbricorum familiae nihil magis auerſari, quam motus febriles, quibus ſubiata quadam medicina occurritur; ſin nunc incommodi pyrexiae ignes, ipſam paraſitorum matrinam vrentes, ſin frequentior ingratae medicinae appulſus, ſin ſueti nutrimenti detractio deſpitii pertaeſos reddat. Exempla copioſa in nosocomio regio centies collecta, enarrat hominum, qui ſub notabiliori quadam febre, parciori victui adſtricti, tartari vel vini emetici vi vexati, vermes excreuerunt. Occaſionem dare videntur Noſtro vermibus alimenta in putredinem prona et aqua fontana impuriſſima.

Inter alia ſymptomata verminoſa, quorum non- p. 30.
nulla Noſter commemorat, et aliis Auctorum vario-rum exemplis illuſtrat, mutitatis caſum perſe-quitur.

4) *Obſeruatio de carcinomate colli et cancro labio-* p. 33.
rum ope aceti lithargyrii ſanatis, Auctore IOANNE HENRICO SCHOENHEYDER. Interne opio et cicutae pilulis vſus eſt ad ſomnum conciliandum et dolores compeſcendos, id quod et effectum eſt et externe aceto lithargyrii carptis linteis infuſo applicuit, ita, vt duo ſanitati reſtituerentur.

5) *Obſeruatio de graui concuſſione capitis cum* p. 37.
fractura baſeos cranii letali, in qua ſectio ſinus longi-tudinalis durae matris inſtituebatur Auctore HEN-RICO CALLISEN. Contigit Noſtro, nonnul-las laeſiones ſinuum, longitudinalis aut late-ralis vi-dere, vbi aut parua ſanguinis copia effluxit, aut

haemor-

haemorrhagia ad leuem syncopen vsque continua sponte cessauit et lenissima deligatio sine vlla compressione semper sufficit. Conducit hoc remedium morbis cerebri, vt sunt commotio eius, apoplexia, epilepsia, mania, phrenitis cet. atque praeferri meretur arteriotomiae, hirudinum applicationi ceterisque. Cl. GOOCH casu apertum sinum longitudinalem sine letali effectu vidit *). Licet ingens in Nostri exemplo nihil prodesse potuit ob fissuram magnam, tamen illam sectionem sinuum non letalem iudicat et eam maximopere commendat.

p. 45. 6) *Casus rarum haemorrhoidum effectum exhibens cum adiecta epicrisi*, Auctore FRIDERICO LUDOVICO BANG. Prodebant omnia symptomata morbum inflammatorium pulmonum, quae apertis vasis haemorrhoidalibus omnia cedebant.

p. 55. 7) *Ascitae singularis historia*, Auctore SALOMONE THEOPHILO DE MEZA. Orta est a vase lymphatico inter vomendum rupto, vti Nostro videtur, etiamsi cadauer non aperiri potuit. Vigesies octies paracentesis est instituta intra decem mensium spatium. Singula vice quatuordecim seri vnciae euocabantur, quod vrinae erat simillimum. Diuretica nihil iuuabant et citissima latera regeneratio prodebat rupturam magni vasis.

p. 60. 8) *Obseruatio de infusi hordei tosti et cerevisiae meracioris effectu in scorbuto nauali*, Auctore URBANO BRVVN AASKOW. Suasit non nuper hoc remedium Cl. MACBRIDE **) in hoc morbo et his

*) v. comm. nostr. Vol. IX. p. 304.

**) v. comm. nostr. Vol. XX. p. 459. v. Cl. COLLIN nov. medic. P. IV. p. 133. comm. nostr. Vol. XXI. p. 418

hic vlterius confirmatur eius bonus effectus. Laudat et ipsam cereuisiam fortiorem.

9) *Confirmata methodi Dimsdalianae in variolis naturalibus curandis praestantia*, Auctore RVDOLPHO BVCHHAVE. Cernitur, vti constat, haec methodus in regimine frigido atque laxantibus. Hanc confirmat Noster et arbitratur quoque, hac methodo naturales variolas debere tractari illamque ipsam felicissime substitui posse insitioni, si ea varias ob causas nequeat admitti vel fieri. Narrat enim Cl. BVCHHAVE se pueris, quorum parentes insitionem non concedebant, suasisse liberum cum aliis, variolis laborantibus, certo die commercium. Quo facto eandem methodum adhibuit, vti inserendis. Circa quartum et decimum diem vel prius a contagio, aegritudine omnes sunt correpti. Symptomata ante eruptionem accedentia his quidem fuere grauiora, quam insitione infectis; benignis tamen variolis omnes sunt infecti et libero vel ad minimum frigidissimo expositi aëri morbum optime tulerunt atque superarunt. Febris secundaria mitior fuit ea, quae in naturalibus variolis vtplurimum obseruatur, paucae hinc vel omnino nullae notabiles relictae sunt cicatrices. p. 64.

Omnem omnino praeparationem Noster non praetermittit, sed eam suadet potissimum adultis et pueris, cacochymia et vermibus laborantibus eamque, tum ad benignas acquirendas variolas non tantum vtilem, sed etiam maxime necessariam indicat. p. 79.

10) *De variationibus in ductu thoracio visis*, Auctore IANO BANG. Materia, quae erat ichthyocolla, iniecta e duabus radicibus in abdomen effluxit e dextra autem in renem eiusdem lateris penetrabat, p. 82.

trabat, eumque replebat. Item vidit Noſter ductum thoracicum ſanguine plenum. In alio ductu magnum formabatur ramorum rete pone aortam deſcendentem immediate ſupra ortum arteriae coeliacae. Plerique diuerſos gyros et tractus habebant, antequam venae ſubclauiae inſerebantur, cet. Ieiuna plura docet.

p. 86. 11) *Inſania a morbo capitis externo obſeruata* a FRIDERICO GABRIELE GOTTLIEB SIBBERN. Super ſiniſtro bregmatis oſſe in confiniis futurae lambdoideae et ſagittalis leuiſſima detegebatur intumeſcentia. Quae, emplaſtro diachylo applicato, ita eleuebatur, vt inciſione opus eſſet. Qua facta, tenue quoddam ſerum effluxit. Cranii carie corrupti pars ſecedebat, vulnus deligatione ſicca facile ſeſe conſolidabat et aegra magis magisque ratione vti diſcebat. Vlterius ſub capillis procedens Noſter detegebat tineoſae eruptionis veſtigia, quam quoque Noſter iterum euocare voluit, ſed fruſtra. Interim tamen ſanata eſt haec puella et reſipiſcere incepit iam facta inciſione. Inde et Noſter hanc maniam a retrogreſſa tinea deriuat.

p. 92. 12) *De monſtro Hafniae 1767 nato*, Auctore IANO BANG. Bruto ſimile erat hoc monſtrum et totum piloſum, cranium depreſſum collo quaſi deſtitutum, cet. In regione lumborum magnum aderat orificium, per quod membranis oui adhaeſerat, quarum fibrillae adhuc vulneri inſitae videbantur. Intra orificium ſpina bifida conſpiciebatur. Hydrocephalo interno laboraſſe hunc fetum autumat Noſter.

p. 95. 13) *Obſeruatio herpetis ex contagio et naeui ex imaginatione*, Auctore IOANNE CLEMENTE TODE.

TODE. Grauida hemicrania laborabat eamque lenire ſolebat preſſione. Qua facta, manubus puellae, herpetem in manu habente, non ſolum grauidae caput herpete infectum erat, ſed et fetus eiuum talem oſtendebat. Vtitur nimirum Noſter hoc caſu contra eos, qui imaginationem maternam negant.

14) *De differentiis contagiorum commentatio*, Auctore FRIDERICO LVDOVICO BANG. Ac primum quidem definit Noſter contagium tam generale, quam ſpeciale, eorum effectus perſequitur, ad infectionem conditiones perueſtigat et methodum prophylacticam ſtabilit. Contagium eſt fermentum morborum. Forma tranſeuntis contagii eſt vel halituoſa ſ. acuta, vel non halituoſa ſ. chronica. Halituoſa contagia ſunt peſtiferum, putridum, variolоſum, morbilloſum, dyſentericum; non halituoſa rabioſum ſ. hydrophobicum, ſcabioſum ſiphyliticum, carcinomaticum. Dubia contagia Noſtro videntur miaſma ſcarlatinae, et tuſſis epidemicae, quod licet b. VOGELIVS reiicit, tamen valde contagioſum Cl. Auctor putat; id quod et nos experti ſumus. Porro arthriticum, phthiſicum inter dubia refert contagia, et miram ſympathiam, vi cuius conuulſiui et epileptici affectus, per ſolum aſpectum et imaginationem ſimilium, excitantur, a contagiis ſeparat. p. 100.

15) *Abſceſſus internus aphthis ſanatus*, Auctore IO. GLEM. TODE. Emetico tartaro, aqua diluto, cui inter alias virtutes et ſpaſmos ſoluendi tribuit, abſceſſus ruptus et pus dein euacuatum eſt. Aphthas a pure reſorpto Noſter deriuat. p. 111.

16) *Experimenta cum muſco Islandico in phthiſi et tuſſi purulenta.* Auctore IO. HENR. SCHÖN-HEYDER. p. 128.

HEYDER. Summa obſeruationum, a Noſtro factarum, eo redit, vt, motibus inflammatoriis et febrilibus ſedatis, hoc medicamentum primum inter pectoralia mereatur locum. Dedit nimirum hunc muſcum, qui eſt *Lichen Islandicus* LINN., in decocto. ℞. Muſc. Islandic. ℥j digere c. ▽. Fontan. ℥xvj ad remanentiam ℥xij et adde Syrup. ſcillitic ℥ſs. D. S. Omni bihorio vncia vna. Cl. COLLIN *) illum cum polygala coniunctim et vtiliter ſuadet. Ab initio doloris imminutionem Noſter percipit, poſt octo vel quatuordecim dies ſenſim omnia in melius vertebantur et in plurimis ſanitas poſt quinque ſeptimanas rediit. In quibuſdam diarrhoea acceſſit, quae facile emulſione gummi Arabici ſedabatur. Aegri, quos hic Noſter proponit, antea omnes laborarunt morbillis.

p. 132. 17) *De effectibus contagiorum commentatio*, Auctore FRIDERICO LVDOVICO BANG. Eorum contagiorum, quorum genera et ſpecies ſupra nominauimus **) hic effectus tradit tam generales quam ſpeciales. Vis aſſimilans duplex in mundo materialium ſeſe prodit, ſc. generans vel ſeminalis ſimilis compoſitorum organiſationis propagatrix; altera eſt fermentans, proprietati rerum ſeminali oppoſita, ſimilis compoſitorum ſolutionis genitrix, cet.

p. 146. 18) *De vtero atque vagina duplici obſeruata*, Auctore HENRICO CALLISEN. Puella trium annorum moriebatur, quae et vtero, et vagina duplici praedita erat. Item vaginam duplicem cum vtero ſimplici Noſter vidit.

19) *Epi-*

*) v. comm. noſtr. Vol. hoc p. 140.
**) v. ſupra p. 239.

19) *Epilepſia ex ſaturatiſſimo potu Caffee letali, obſeruante* SALOMONE THEOPHILO DE HEZA. Potum hunc poſſe ac debere eſſe epilepſiae cauſſam, videtur ex eo patere, quod, intermiſſo hoc potu, ceſſaret morbus, et, eo admiſſo, rediret, et denique per potum hunc intra horam aeger moriretur. p. 154.

20) *De requiſitis ad infectionem conditionibus commentatio*, Auctore FRIDERICO LVDOVICO BANG. Attenduntur hic emanatio materiae morboſae et morbificae e corpore aegrotorum inficientium, tranſitus contagii emiſſi ad ſanos, ingreſſus in corpora ſanorum, certaque infectorum diſpoſitio. Pro contagii diuerſitate et haec requiſita variant. Id quod Noſter hic vberius perſequitur. p. 157.

21) *Venereae phthiſicae felix ſanatio ope mercurii ſublimati corroſiui*, Auctore IO. CLEMENT. TODE. Vſus eſt hic Noſter mixtura Swieteniana, cortice ſaſſaparillae cum diaeta lactea et iuſculis carnium teneriorum, lichenis Islandici virtute imbutis. p. 171.

22) *De vomitu ſympathetico a ligato ſarcomate in fronte*, Auctore P. C. ABILGAARD. Ligatura per conſenſum excitauit vomitum, qui, emetico dato, ſedatus eſt et tum facile ligaturam in dies fortiorem tulit, vſque ad exſtirpationem tumoris. p. 176.

23) *De prophylaxi a contagiis*, Auctore FRIED. LVDOVICO BANG. Cernitur prophylaxis haec in tranſitu contagii ab aegrotis ad ſanos auertendo vel ſaltem infringendo, ingreſſu contagii omnino, vel quantum fieri poteſt, impediendo, et in diſpoſitionibus contagioſis exſtirpandis vel debilitandis. Contagii diuerſitas mutat quoque harum regularum applicationem, quam hic Noſter monſtrat. p. 179.

p. 205. 24) *Obſeruatio de efficacia ligni quaſſiae in dyſphagia ſpaſmodica*, Auctore IO. CLEMENT. TODE. Inter alias quaſſiae virtutes, alibi narratas, laudabatur et antiſpaſmodica, quae in deglutitione ex ſpaſmo laeſa hic confirmatur, multis antea remediis antiſpasmodicis incaſſum tentatis.

p. 209. 25) *Obſeruationes circa aërem in ſanguine et humoribus contentum, quibus ſimul noua pathologia ſcorbuti adiungitur.* Auctore IO. HENR. SCHÖNHEYDER. Diſputat hic Noſter de natura, origine et effectibus huius aëris. Verſari videtur Cl. Auctori hic aër in ſtatu ſemielaſtico et origo aëris in ſanguine maximam partem ex canali alimentari deriuanda. Scorbuti cauſſam ſolam non defectum aëris fixi, vti MACBRIDE docuit **) ſed alcalinam eſſe, Cl. Auctor iudicat, ideoque et acida in eo commendat.

p. 219. 26) *Iſthuriae et enureſis ſimpliciſſime curatarum obſeruatio*, Auctore IOANNE CLEMENTE TODE. Oleo nimirum chamaemeli deſtillato, ope cocti diluto; quo perinaeum radicemque penis frequenter inungi Noſter iuſſit.

p. 223. 27) *Foliorum bardanae efficacia in excoriationibus et vlceribus apertis.* Auctore IO. HENR. SCHÖNHEYDER. Narrat hic Cl. Auctor duo exempla de vſu foliorum bardanae recentium in herpeticis aliisque cutaneis morbis externo felici. His enim quotidie applicatis per tres ſeptimanas ſunt vlcera exſiccata ***).

28) Ob-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 322.
**) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 336.
***) Succum recenter expreſſum radicis bardanae interne adhibitum, vtilem in his morbis obſeruauimus.

28) *Obſeruatio de cruſta in ſanguine miſſo orta et iterum ſubducta*, Auctore IOANNE CLEMENTE TODE. Miratur Noſter cruſtam in ſanguine e vena miſſo veram iterum prorſus diſparuiſſe. Forſan calor, quem et Auctor notat, eam reſoluit.

29) *Obſeruatio de letali radicis ialappae effectu in duobus ſubiectis a morbo inflammatorio inteſtinorum conualeſcentibus*, Auctore P. C. ABILGAARD. Praeſcriptio laxantis erat haec: pulu. rad. Ialap. ʒſſ. diagryd. ♃rat gr. IV. Tart. Vitriol. ʒj. p. 234.

30) *Experimenta circa ſenſum videndi*, Auctore IOANNE EICHEL. Loquitur hic Noſter de phaenomenis in oculo, quae a preſſione oriuntur e. g. de annulo, qui oriri videtur, ſi oculus leniter digito premitur. p. 238.

31) *De graui vteri haemorrhagia obſeruatio*, Auctore FRIDERICO LVDOVICO BANG. Haec haemorrhagia aliquoties reuerſa, et demum valde grauis, ſedata eſt potiſſimum pulueribus ex cortice Peruuiano, rheo et nitro cum decocto corticum aurantiorum. p. 268.

32) *De hydrophobia a cane lambente inducta obſeruationes duae*, Auctore IOANNE HENRICO CALLISEN. Triplex indicatio praeſcripta Noſtro videtur in hoc morbo: ac primum quidem deglutitio ſaliuae maxime impediatur, et ſputatio naturae niſu indicata, valde ſalutaris diligenter promoueatur; poſtea eretiſmus corporis totius Noſtro mere ſymptomaticus eſt, inde ſedantia potentiſſima, vt moſchus et opium fruſtra adhibentur. Deglutitio ſaliuae e contrario, lux, aſpectus corporum p. 273.

ſplendentium, turbatio et colloquium, ſi eniteatur, eretiſmus corporis multo melius ceſſat; et denique tertia indicatio vere curatiua vnice quaerenda Noſtro videtur in ſaliuae venenatae mutatione, quae ſpectatur in tempeſtiuo ac ſufficienti mercurialium praeparatorum vſu.

p. 284. 33) *Obſeruatio de dolore periodico, cordis Peruviani virtute, ſedato,* Auctore IOANNE CLEMENTE TODE. Qua occaſione memorat Noſter ſalutiferum balneorum ſinapinorum in arthriticis doloribus effectum.

p. 287. 34) *De vſu forcipis eiusque in ſitu faciei lateralı applicandi modo,* Auctore MATTHIA SAXTORPH. Arbitratur Noſter Smellianam forcipem praeferendam eſſe Levretianae et illi ipſi emendatae, propter faciliorem et tutiorem illius applicationem. Forcipis vis conſiſtit non ſolum in capite extrahendo, ſed et eo comprimendo illoque interdum ab vno ſitu in alterum dirigendo. Extractio praecipua et tutiſſima eſt, compreſſio caute et prudenter exercenda debet; ſitus vero capitis mutationem forcipis ope inſtituere nunquam ſuaderet Noſter. Inferatur forceps ſemper ad latera peluis cet. Exempla, quae hic enarrat, bene ſucceſſerunt.

p. 304. 35) *Obſeruatio de ſalutari opii effectu in tetano et triſmo ſymptomatico,* Auctore FRIDERICO CHRISTIANO WINSLOW. Accedebat hic morbus ad fracturam femoris et leniebatur laudano.

p. 307. 36) *De hydrope ex ingeſto arſenico obſeruatio,* Auctore FRIDERICO LVDOVICO BANG. Tempus et natura ventriculum valde debilitatum vomitu crebro iterum iuuabant et hydropem amara curarunt.

37) *Di*

37) *De placenta in orificio vteri irradicata.* p. 310.
Auctore MATTHIA SAXTORPH. Quaerit hic Noſter numne partus eadem ratione eſſe poſſint, qua alii morbi, epidemici? et videtur Noſtro largiri poſſe et debere hanc epidemiam. Octies enim ſemeſtri ſpatio obſeruauit partus, in quibus placenta in collo vteri immediate ſupra eiuſdem orificium irradicata in quaerentium oculos veniebat. Antea vero inter 3600 partus vnicus talis a Noſtro notatus eſt.

Addit hic Noſter quaedam ad ea, quae iam p. 314.
habet Cl. LEVRET de hoc placentae caſu *) nec reticet ea, quibuſcum conueniunt ſuae ipſius obſervationes et LEVRET. Praeſagiunt hunc ſtatum haemorrhagiae in vltimo grauiditatis menſe. Vna feminarum, quas hic Noſter exempli loco propoſuit, quinque haemorrhagias paſſa eſt, reliquae non niſi tres, et duae ſolummodo binas ante partum tolerabant. Dolores porro ad partum hic ſunt debiles atque inſenſiles adeo, vt vix crederes incepiſſe partum. Remedium optimum, citiſſimum et efficaciſſimum ſiſtendi haemorrhagiam poſt partum eſt, abdomen manibus leniter comprimere. Ita enim fundus vteri verſus dorſum premitur, viſcera abdominalia ſubleuantur, ne ob nimium ſanguinis affluxum et vterum vacuum plus iuſto ſanguinis recipiant et in vaſa vterina patula eundem effundant.

38) *Experimentorum circa ſenſum videndi continua-* p. 330.
tio. Auctore IOANNE EICHEL. Cl. Auctor **) de ſtrabonibus, ſtrabiſmo viſuque duplicato agit. Strabiſmo

*) vid. comm. noſtr. I. decad. Suppl. IV. p. 641.

**) vid. ſupra p. 243.

optime medetur, ſi torpens oculus, altero ligato obfirmato, cogitur officio ſuo fungi.

p. 356. 39) *Herpetis exedentis curatio*, Auctore FRIDERICO LVDOVICO BANG. Manus occupauerat herpes, digiti erant tumidi excoriati partim exulcerati, ichore tenui obſiti vnguibus fere laeſis. Durabat iam hoc malum per duos annos et reliquum corpus immune erat ab hac excretione. Facies vero cachexiam prae ſe ferebat. Praeſcripſit purgans ialappinum omni quatuor die repetendum, interea electuario e corticis peruuiani partibus duabus et ſaſſafras parte vna cum melle communi adhibito. Pro vſu externo oleum palmae, conſolidatione cutis incipiente frequentes manuum lotiones. Intra aliquot ſeptimanas malum hoc fugatum eſt.

40) *De ſimpliciſſima methodo tractandi puerperas in domo obſtetricia regia Havnienſi anno 1773, obſeruata*, Auctore IOANNE PHILIPPO ROGERT. Maxime nobis arridet hoc inſtitutum et imitatione dignum id iudicamus. Puritas domiciliorum et lectorum curatur. Parturiens in ſellam partui dicatam, culcitris tomentitiis tectam fulcrisque pro manibus et pedibus inſtructam, etiamſi quoque firmus ſatis et commodus in ea ſit decubitus, tamen non conſtituitur, priuſquam orificium internum vteri plane fuerit deletum et caput partes externas protrudere inceperit.

p. 363. Perinaeum manibus non deprimitur, ſed ipſa ſuffultum a ruptura grauiore praecauetur. Placenta ſoluta, indicante haemorrhagia, extrahitur; praeterea autem naturae relinquitur, quam illa etiam quarta, immo vigeſima a partu hora ſoluit et ſeduxit feliciter. Manus in matricem nunquam immit-

immittitur, niſi ſumma vrgente neceſſitate. Veſperi diei ſecundae immittitur clyſma ad imminuendam febrem lacteam.

Haec et alia pertinent ad partum naturalem. p. 368.
Ex trecentis enim et triginta ſeptem partubus antecedentis anni ducenta et nonaginta quinque naturales fuerunt. Partus tarditas nimia iuuatur venaeſectione et guttis quindecim ſeu viginti laudani, quibus et inflammatio arcetur.

In partu difficili ex ſitu vteri obliquo nihil mo- p. 369.
litur, ſed ſanguinis miſſionibus, anodynis camphoratis et nitroſis inflammationi obuiam itur doloresque ſuſtentantur, et ſi modica fuerit vteri obliquitas, nec dolores admodum debiles, naturae committitur. In maiori obliquitate vteri et puerperae imbecillitate applicatur forceps, quod ter contigit per annum. In ſitu capitis peruerſo verſio aut forceps ſuadetur.

Nulla in his partubus imponitur abdomini p. 371.
faſcia ideoque copioſior lochiorum fluxus, vt ſanguinis miſſio localis conſideratur, quae optime inflammationem minuit, neque hic dantur cardiaca.

Febre puerperali, alibi adeo frequente, duas p. 374.
modo Noſter vidit vexatas puerperas. Prior eaque vnica in hoc numero moriebatur, quarto a partu die, altera euaſit. Abdomen mortuae apertum p. 375.
materia copioſa, purulenta, foetidiſſima, inteſtina conglutinante erat repletum, omentum fere totum putrilaginoſum, vterus contractus externe, in fundo leuiter inflammatus, interne cruore coagulato obductus conſpiciebatur, colſo conſtricto et orificio aperto, ligamenta lata et ouaria connata cum vicinis partibus, dextrum fere totum gangraenoſum.

XVI.

XIV.

IOSEPHI QVARIN S. C. R. A. Mai. Deputati aul. et inf. Auſtr. Regim. conſil. ſanitatis et in noſocomio fratr. miſeric. phyſic. methodus medendi inflammationi. Vindobon. apud Rudolphum Graeffer 1774. 8. pagg. 247. praeter dedicationem, praefationem et conſpectum.

Seruat hic Cl. QVARIN *) ſuum promiſſum, is tamen, vt animaduerſiones de chronicis morbis alio tempore communicare polliceatur. Signa
p. 2. inflammationis non omnia debent in conſpectum venire. Diſſentiunt Auctores de cauſſa inflammationis eamque in humorum tenacitate partim ponunt, partim in acrimonia quaerunt, item vtrumque conſtituunt. Noſter vero hanc litem mittit et ex vtraque opinione remedia ad celeritatem ſanguinis minuendam, cruoris firmitatem attenuandam et acrimoniam corrigendam commendat. Indicationes enim omnes cernuntur in impetu humorum nimio compeſcendo, in torpente excitando, a partibus nobilioribus deriuando, in craſſo incidendo, crudo coquendo et cocto euacuando.

p. 19. Haec de inflammatione in genere. Caput ſecundum de phrenitide agit. Arteriotomiam Noſter in hoc morbo cum SWIETENIO non adeo extollit. Applicationem columbarum trucidatarum plane reiicit ob effluuia putrida noxia, ſi putreſcunt.

Aër frigidiuſculus prodeſt phreniticis. Hinc ſuſpenſionem linteorum muria ſalis ammoniaci madi-

*) vid. EIVSDEM method. medend. febr. in praefat. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 96.

madidorum ſuadet, vel ſi virentis ſambuci ſeu roſarum cet. rami aquae immergantur.

In angina inflammatoria bonum ſignum eſt, ſi collum et pectus rubent, quoniam materia inflammatoria ad exteriora tranſit. Qui ſaepius hac angina afficiuntur, iis prophylactice proſunt gargarismata frigidiuſcula ex ſaluia, foliis roſarum rubrarum cum pauco liquore anodyno minerali. p. 30.

In angina ſcirrhoſa priuſquam exſtirpatio et vlcio, qua vtraque non raro opus eſſe cum RVYSCHIO putat Noſter, inſtituitur, mitiora tentat Cl. QVARIN, vt oleum tartari per deliquium, ſpiritus ſalis marini dilutus, qui putredini reſiſtit et quem adeo facile irritabilis ipſius cancri malignitas ferre videtur; decocta molliſſima dein interponenda ſuadet. p. 47.

In angina paralytodea mentionem Noſter facit virgulae WILLISII, e pinna cetacea parata, in ſummitate ſpongiam adfixam habens, qua cibis via in ventriculum paratur. Quae ſi a nimia venere proficiſcitur, nucem Indicam et nuces iuglandes conditas cum ſyrupo cinnamomi vtiliter adhibuit amicus quidam Noſtri. p. 51.

Occurrebat Noſtro, licet rarius, angina putrida, qualem HVXHAMVS *) accurate deſcribit. Sanguinis miſſio in ea ſine ſtatu inflammatorio nocet, vomitoria autem valde proſunt. Haeret enim putridum in ventriculo. Damnat quidem Cl. HVXHAMVS ſalium volatilium alcalinorum vſum et putat iis morbum exacerbari. Obſeruauit tamen Noſter ſummam eorum vtilitatem, vbi pulſus tremulus, inaequalis, intermittens et mollis erat. p. 53.

Spiritus

*) v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 588.

Spiritus cornu cerui efficaciam in febre putrida maligna iam diu ante Anglos medici noſtri in Styria animaduerterunt.

p. 63. Anginae aquoſae vel oedematoſae omnia, quae exitum lymphae liberum impediunt, curam impeditant, vt venarum compreſſio ab atheroma, ſteotomate ſimilibusque tumoribus.

p. 67. Alia pleuritis pleuram huicque adnexam celluloſam telam potius occupat, alia partes integumentis viciniores e. c. muſculos intercoſtales et tunicam adipoſam magis adficit; illam internam veram, hanc externam ſpuriam vocant.

p. 76. Dum de venaeſectione rite inſtituenda in hoc morbo agitur, aſſerit Noſter, aegros ſupine iacentes largiorem venaeſectionem facilius ſine animi deliquio ferre, ac ſedentes. Prima venaeſectio efficacior in brachio lateris affecti obſeruatur, altera in parte oppoſita, tertia in pede adminiſtrari poteſt. Soli lardaceae cruſtae ſanguinis non fidendum eſt in reiteranda ſanguinis miſſione. HVXHAMVS enim in paraphrenitide ſanguinem corio obductum poſt centum vncias detractas vidit et VAN SWIETEN merito obſcuram pellis huius originem dicit. Pleuritis vt plurimum peior, ſi cruſta inflammatoria abſit. Laudatur frictio partis affectae inter ſanguinis miſſionem, ſed haec in pleuritide ſpuria plus prodeſſe videtur, quam in vera, cet.

p. 97. Peripneumonia vel in ſanitatem, vel in ſuppurationem, ſcirrhum aut gangraenam abit. Ad vomicam rumpendam non fortius emeticum ſuadet Noſter, ſed laudat hic et inter alia ſulphur antimonii auratum, quod praefert kermes minerali, cum citior et potentior inſit ſulphuri aurato vis emetica. Solvitur hic morbus et criſi metaſtatica et ſoli hi abſce-

abſceſſus ſunt boni, qui ad partes exteriores fiunt. Atque obſeruatio medica docuit, illos plerumque in hoc morbo ad parotides vel crura naſci, rarius vel nunquam ad alia corporis loca. In metaſtaſi circa crura ſigna leuioris inflammationis ad hypochondria obſeruantur, forte a materia morbi per coeliacam meſentericam vtramque ad viſcera chylopoea et venae portarum anguſtias delata; ſi ad aures fiat metaſtaſis, hypochondria ſunt mollia.

In capite ſexto agitur de paraphrenitide, mediaſtini et pericardii inflammatione. Coniuncti ſaepe et ſunt hi morbi. Nam monente iam Cl. SELLE *) haud raro accidit, vt plurium partium inflammationes ſimul adſint. Spaſmus cynicus non eſt pathognomonicum ſignum inflammati diaphragmatis, ſed cuiuslibet viſceris, quod a neruo intercoſtali ramos habet. p. 136.

Hepatitis in vena portae vel arteria hepatica habet locum. Vna nata, facile altera ob innumeras anaſtomoſes ſequitur. Frequentius hepar in parte anteriori inflammatur. Inter cauſſas numerantur et potus balneumque frigidum. p. 140.

Gaſtritite declarata ad colicam Noſter progreditur. Omnis inteſtinorum dolor colica audit, quae pro cauſarum diuerſitate in diuerſas ſpecies diſtinguitur. Noſter quidem ſecundum ſuum ordinem inflammatoriam hic curare debebat, tamen coniungit cum ea flatulentam et bilioſam, quoniam flatulenta non raro peſſime cum inflammatoria confunditur, nec raro inflammatoriam ſequitur bilioſa. p. 159.

Poſt et ante venaeſectionem et ſi quoque aluus reſpondeat, ſuadet clyſmata Noſter in inflammatoris p. 164.

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 77.

ria colica. Licet enim clyſmata non adeo di-
tendunt, tamen lauant et fouent partes vicin-
Rarius contingit, tantam eſſe ani contrac-
nem, quae canulam non admittat, ſi eſt, vngue-
ſeu fomentationes in ſella perforata Noſſe-
mendat. Fomenta ex ſpeciebus emollientibus
ſapone continuo externe applicanda, non ſint nim
ponderoſa, ne inde dolor augeatur.

p. 169. Inter varias cautiones, ſi inflammatio in ſuppura-
tionem abit, vbi et tunica villoſa, cauum intes-
lem tubum referens, per aluum exit abſque pe-
lo, legimus, quoque cauendum eſſe tum a cortice
in ſubſtantia, quippe qui craſſa et dura ſcybala in-
mat, ſed illum exhibendum eſſe in decocto cum
agrimonia. Ceterae cautiones, quae ſpectant tam a-
menta, quam medicamenta, neque omnes hic no-
bis tradi poſſunt, lectu et imitatu nobis videntur
dignae.

p. 175. Interne in colica flatulenta vix praeſtantius e
remedium, quam infuſum ſaturatum ſeminum qu
tuor calidorum per partes hauſtum, cum tepo
ſpaſmi ſoluantur et grata haec aromata blando
ſtimulo has partes ad aequabilem contractionem
inuitent. Nec minus laudat clyſmata e cortice
et camomillae floribus.

p. 181. De emeticis in colica bilioſa diſſentiunt Auc-
res. Noſtro ea videntur noxia in malo, ab anim
commotione vel calore exceſſiuo originem duce-
te, vbi vero ex ingluuie vel abuſu carnium ferin-
rum vel ſuillarum deriuanda eſt colica, ab initio
accedente inprimis anxietate et ſenſu ponderis in
ſcrobiculo cordis, lene emeticum ex ipecacuanha
et rhabarbaro ſuadet.

p. 183. De ileo, quem recentiores perperam volulum
nuncupant, hic agitur. Ileus enim absque commu-
ſione

sione vel introsuſceptione et haec absque ileo oe-
curit. Merito in ileo laudantur temperata vesi-
cantia abdomini adplicata. In mutuo inteſtinorum
ingreſſu ſuadentur globuli plumbei deglutiendi,
item mercurius. Omnia vero ſunt tentanda, antea,
quam metalla haec exhibeantur. Aurum fulminans
in ileo quoque Noſter reiicit.

Suadent nonnulli, vt abdomen diſcindatur, in- p. 200.
teſtina educantur, voluuli locus quaeratur, inuen-
tus digitis explicetur, dein inteſtina reponantur
et abdomen conſuatur. Licet Cl. NVCKIVS fe-
licem ſimilem caſum refert, tamen huius rei diffi-
cultatem cum b. VAN SWIETEN Noſter vrget.
Idem de machina IOANNIS VIDEMAR medi-
ci Mediolanenſis *) ſentit, qua liquida tanto im-
petu ano iniiciuntur, vt vomitu reiiciantur.

Multos, qui arenulas vel minores calculos per p. 208.
vrinam cum moleſtia, ſtranguria et colica ſaepius
meunte excernebant, ſequenti puluere Noſter
uauit, ſingulis vel alternis diebus drachmam ex-
ibens: R. Olei cort. aurant. gt. VI F. c. ſacch. alb.
unc. dimid. eleoſacch. cui adde uvae vrſi unc. dimid.
gumm. Arabic. drachm. ij. radic. ialap. dr. j. M.

In grauiori rheumatiſmo fomenta ex infuſo p. 224.
lorum ſambuci et cicutae proſunt, vel ſuadente
ARCONE extractum cicutae cum ſucceſſu em-
aſtri inſtar applicatur parti affectae. Mentio-
em fecit ranunculi pratenſis, quo externe irrita-
a III. STÖRCK partes affectas rheumatiſmo **),
et maiorem effectum, difficilioremque curationem
b eo, quam a veſicatoriis, obſeruauit.

Vtiliſſi-

*) v. Giornale di medicina Tom. II. p. 245.
**) Ann. med. II. p. 122. comm. noſtr. Vol. VII. p. 541.

p. 228. Vtiliſſimum eſt huic morbo balneum Balneum ſulphureum, a Vienna non longe diſſitum. Cas- cit et hic embrocha, hac cautione: ab initio ... propinquo parti adfectae tubus applicandus, ... dein ſubinde remouendus, vt maiori impera- ruat et ſic adſueti absque doloris ſenſu ... aegri. Prodeſt et artificiale balneum hoc: ... viuae, ſulphuris apyreti ana libr. dimid. ... dulcis vel danubianae libr. triginta. Ebullitum extrahatur per noctem lixiuium, quod cum aqua fluuiatili miſcetur. Balnea ſimilia diu eſſe con- nuanda optime monuit Cl. STRACK *).

Formulae additae nobis placent tam ſecundum compoſitionem, quam remediorum dignitatem.

XV.

MATTHAEI FRANCISCI ALIX medicinae et chirurgiae Doctoris, Acad. Elect. Scient. Vtilium membr. ac vrbis et Brukn. aquis miner. phyſic. etc. obſeruata chirurgica. Faſciculus I. Altenburg. ex officina Richte- ria 1774. 8. pagg. 116. praeter dedicato- nem praefationem et contenta.

p. 1. 1) *De fulmine tacto, aqua vegeto minerali* GOT- LARDI *concentratiori feliciter* ... Tres potiſſimum indicationes ſunt in hoc morbo formandae. Ac primum quidem plethora eſt re- fringenda venaeſectione, dein robur tonusque ſo- lidorum reſtituendus et ſtagnantes humores in motum ſunt reducendi. Atque has tres indicatio- nes Noſter in hoc aegro, cuius hiſtoriam hic tra- dit,

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 674.

ut perſecutus eſt. Ac inprimis cum felici ſucceſſu applicuit ſub forma fomenti pedi ſiniſtro ſupra genu vſque valde tumefacto, inſenſili atque livido ab impreſſione radii fulminis, cum aqua Gouardiana nihil praeſtaret, aquam eandem concentratiorem, compoſitam ex duabus vnciis extracti ſaturni et duabus libris aquae. Qua per ſex horas applicata, titillationem aeger ſentiebat et pedem mouere cepit et continuato eius per duos dies vſu pars afflicta detumuit, colorem magis naturalem, et faciliorem motum adepta eſt. Quo facto aquae concentrationem diminuit et temperamentibus ſepoſitis, corticis vſu intra octo dies aegrum ſanauit.

3) *De hydrope pectoris et pericardii.* Cauſſam huius mali Noſter ponit in conatum nimium, quo aeger praegraue onus attollere ſuſcipiebat. Vnde fibris vltra elaſticitatis gradum tenſis et orta ſimul maiore humorum congeſtione, vaſa quaedam rupta laticem in cauum pericardii et pectoris effundebant. In cadauere inter alia reperit Noſter pulmones pleurae et diaphragmati fere vbique contiguos et aneuryſma verum in ſiniſtra auricula. p. 7.

3) *De abſceſſu in regione lumbari.* Pertinet hic ad latentes abſceſſus et feliciter eſt apertus. p. 12.

4) *De abſceſſu in regione inguinali.* Quo aperto et ſuppuratione bene ſuccedente, tunica peritonaei membranacea exfoliabatur et nuda inteſtina conſpiciebantur. Nihilominus tamen vulnus quotidie minus profundum erat et aegra conualeſcebat. Paullo poſt Noſtri culpa idem malum denuo reuertebatur et fluctuatione iterum praeſente alterum inciſionem tentabat, quo facto ſimul cum p. 15.

materie penicillus vulnerarius exiit. Vulnus postea ratione habita, non diu post est sanata aegra, nec vllum incommodum remansit.

p. 20. 5) *De vitio eiaculationis seminis a duris corporum cauernosorum tumoribus.* Hi tumores relicti sunt post manustuprationem tum, cum aliquando vnius horae spatio talem vim ter sibi aeger intulisset, id quod aegro in recenti fuit memoria, nec inde vlla quidem incommoda, manifestum tamen horum tumorum indies incrementum sensit. Tempore vero coitus excitarunt hi tumores doloris sensum. Resoluit Noster hos tumores inprimis aqua vegeto minerali GOVLARDI cum mica panis facto cataplasmatis, simul in vsum vocatis balneis domesticis atque internis remediis. Atque hac occasione, experientia sua iubente, dicit contra BOERHAAVIVM, LVDWIGIVM, LOESSERIVM, BRAMBILLAM et QVARIN, qui de nocentium particularum in corpus resorptione a sanantibus remediis timuerunt, et aquam hanc Goulardianam ab omni suspicione liberat.

p. 27. 6) *De ranula connata insigne volumen adipis.* Horum sub lingua tumorum indolentium origo, teriaque Nostro videtur inesse saliuae. Plerumque cadunt in adultiorem aetatem, hic Noster exemplum rarum refert infantis, tali cum tumore nati. Noster fecit operationem ita feliciter, vt saccum penitus rescinderet et, decem diebus elapsis, sanitas perfecta rediret.

p. 33. 7) *De glandulae thyroideae affectu.* Praeminebat glandula scrophulose affecta ad duorum pugnorum magnitudinem et sentiebatur in ea fluctuatio. Qua igitur separata et dissecta, magna copia

copia ſanguinis extrauaſati, quinque circiter vncias pondere reperiebatur, dein calcarea et quaſi lapideſcens materia durior inaequalis et acuta, quae totam ſuperficiem internam obtegebat et in ſubſtantiam ipſam, quae ſpongioſa erat, penetrabat. In vtroque ſtrumae latere erat conſpicua thyroidea arteria ſuperior, quae plerumque ramum carotidis externae conſtituit et iterum in varios minores ramos in ea diſpeſcitur. Notabilis huius arteriae ſiniſtrae ramus ad internam ſtrumae ſuperficiem diſruptus tantam ſanguinis copiam fuderat, vaſis totius capitis ſanguine turgeſcentibus, vt adeo diſruptio huius arteriae aneuryſma ſpurium ſiſteret, quod ſtrumale dici poſſe videtur Noſtro. Isque caſus ideo ſingularis Noſtro videtur, quod nullus, cuius meminit Noſter, occurrit caſus, qui doceret aneuryſma ſpurium in ſtruma ex nimio impetu ſanguinis, quin ex antecedentis et vaſa capitis iam replentis reſiſtentia obortum fuiſſe. Apoplexia mortua eſt aegra.

8) *Hydrops vniuerſalis.* Multis remediis fruſtra adhibitis, cantharidum grana quatuor cum larga copia aquae hordei vim diureticam largiſſimam praeſtabant, poſtquam quartam partem huius portionis ter ſumſerat. Atque ita cortice cum ſale abſinthii et rhabarbaro aeger, ſex hebdomadibus elapſis, plane eſt reſtitutus. Anno vno et dimidio poſt iterum reuertebatur idem morbus, nec cedebat cantharidibus. Sanabatur autem aeger nihilominus inciſionibus, quibus aqua euocabatur, et dein rheo, ſale abſinthii et cortice. Internus vſus cantharidum a Noſtro conceditur in magnis morbis, vbi vſitata remedia nil proficiunt et decocto hordei mucilaginoſo putat caueri, ne damnoſa euaderet haec medicina. Cauſam vero cur p. 37.

cantharides altera vice non eundem praestan effectum, quem prima, quaerit Noſter in debi maiori, et irritabilitate minori, ac forte p in vaſis dilatatis, ſecundo in ruptis vaſis et dis effuſis.

p. 41. 9) *De ſphacelo ſcroti.* Peruerſa ex me medendi hic ſphacelus ortus eſt, quo Noſter ſeptimanarum potiſſimum ſcarificatione et tice eſt potitus.

p. 45. 10 et 11) *Fracturae maxillae inferioris. xilla ſuperior et inferior fracta.* Omnino hic net Cl. Auctor, violentas concuſſiones et m contuſiones, fracturas, luxationes et vulnera ita viſa periculoſa, letalia facere, e contrario fis iis, nullum malum inde ſequi, etiamſi concuſſio praeceſſerit. Atque hoc probat hic bus exemplis. Prioris exitus erat infauſtus rius fauſtus.

p. 53. 12) *De teſticulo ſcirrhoſo.* Multis fruſtra adhibitis ille exſtirpabatur feliciter. arbitratur Noſter ex hac obſeruatione, in tatione teſticuli ligaturam arteriae non eſſe riam, e contrario multa mala e ligatura nerui euitari, nec minus cauſſam huius morbi fuiſſe morem extrauaſatum, quo magis magiſque mulato et ſubinde acriori et corroſiuo reddito, lores aucti ſunt et teſticuli conſeruatio impedita.

p. 57. 13) *De duabus prope perinaeum fiſtulis primum purulentam excernentibus.* Hae fiſtulae per annum male tractatae a Noſtro inciſione atque dilatatione feliciter ſunt curatae.

14) *Abſce*

14) *Abſceſſus parotidum metaſtaticus eiuſque ſanatio.* Ex febre male curata oriebatur abſceſſus ad parotides, eoque diſcuſſo, diarrhoea copioſa aegro ſuperuenit, quae quidem medicamentis coerceri non poterat aeger, poſt decem dies noua febre corripiebatur cum dolore violento atque profundo in regione vmbilicali. Atque hic nouus abſceſſus formabatur, qui inciſus licet difficulter, tamen curabatur, aegro penitus ſano. p. 65.

15) *De ſcirrho glandulae parotidis.* Dum in ſtadio critico glandulae tumefiunt, ſemper timendum eſt, ne in ſcirrhum aut cancrum degenerent, cuius plena ſanatio valde eſt difficilis, quamuis etiam exſtirpetur. Probat hoc Noſter hic exemplo, ex quo praeterea patet, tales aegros breui poſt febre lenta perire et tumorem vtplurimum reuerti et maius quam antea volumen obtinere. Scirrhoſus enim tumor quatuor librarum, quem Noſter feliciter exſtirpauit, rediit multo maior et aegra lenteſcens moriebatur. Cauſam quaerit Noſter in ſolita quadam huius aegrae euacuatione ſuppreſſa. p. 69.

16) *Glandula mammae tumefacta.* Haec glandula tumens, menſtruis reſtitutis, ſine externis remediis ſoluta eſt. Atque hic obeſſe emplaſtra aliaque externa remedia monet Noſter. Quaſſia potiſſimum vſus eſt Cl. Auctor, ad menſtrua reuocanda. p. 73.

17) *De tumore in regione vmbilicali.* Hic abſceſſus certo a vermibus erat productus, quod idem Cl. TISSOT *) obſeruauit et Noſter alibi **) legit. p. 76.

*) Avis au peuple §. 389. pag. 326. vid. comm. noſtr. Vol. XII. p. 549.

**) Eſſays and obſ. phyſical and litterary by a ſociety at Edinburgh. Tom. I. comm. noſtr. Vol. V. p. 54.

legit. Anthelmintica multos vermes expulerunt et vulneris ſanationem valde iuuarunt.

p. 79. 18) *Fractura clauiculae.* Repoſitione facta applicauit Noſter manicas corpuſculi Cl. BRANDTII et ſine emplaſtro et liquoribus inter ſedecim dies aeger plenarie ſanabatur.

p. 82. 19) *De vlcere naſi.* Hoc externis remediis male tractatum in dies peius reddebatur. Noſter vero, cum venereum eſſet, illud frictionibus mercurialibus mox ſanauit. Externe nil adhibuit quam digeſtiuum ſimplex cum dimidia vnguenti Neapolitani quantitate.

p. 85. 20) *Tumor teſticuli duorum magnitudinis pugnorum remediis* GOVLARDI *feliciter ſanatus.* Orta erat tumor hic ab externa cauſſa et iniuſtis remediis tentatus, talem magnitudinem nactus.

p. 88. 21) *De vlceribus benignis intempeſtiue ſanatis.* Imprudenter exſiccatis iis, aegrotanti ſuperueniebat tuſſis ſicca, reſpiratio valde difficilis, cutis ardor, abdomen tenſum, aluus obſtipata. Noſter iterum aduocatus reuocabat haec vlcera ſcarificatione inque iterum praeſentibus omnia ceſſabant ſupra narrata ſymptomata.

p. 92. 22) *Haemorrhoides coitum cum marito impedientes.* Similitudinem habet haec obſeruatio cum ea, quae narratur in tentaminibus ſocietatis, Edinburgenſis **). Haec femina ita conualuit, vt ſatum maſculum enixa eſſet.

23) *Vl-*

*) Mém. d. l'Academ. roy de Chirurgie I^e année 177-

**) Tom. II. p. 353. comm. noſtr. Vol. VII. p. 94

23) *Vulnus gladio abdomini inflictum.* Tria p. 96.
accipiebat hic vir vulnera, in fronte nimirum, ossi parietali atque abdomine, ac quidem in regione umbilicali laeso simul musculo dextri lateris et linea. Dolores ex neruo laeso optime, eo discisso, compescebantur. Ceterum simplici deligatione vsus est Noster et omnia haec vulnera bene sanauit, licet antea ab imperito chirurgo male essent tractata.

24) *Inflammatio venaesectionem secuta.* Orta p. 100.
haec est ab imprudentia chirurgi a laesione nerui, quo dolore aegra quoque misere conuellebatur. Noster dein aduocatus venaesectione adhibita corticeque cum nitro interne exhibito, vulneri indidit ad methodum Cl. FOVBERT frustulum mochisci escharotici de minio, quo neruus, qui symptomata producebat, consumeretur, et applicuit praeterea cataplasma ex aqua Goulardiana. Atque ita gangraenam coercuit et aegram sanitati restituit. Non putat secundum Ill. HALLERVM hos dolores prouenisse a laesione tendinis, vti solebant olim credere HEISTERVS, GARENGEOT aliique.

25) *Ingens vulnus carpo securi inflictum et ma-* p. 104.
nus conseruata feliciter sanatum. Erat ingens licet vulnus, tamen readunatis partibus manus est seruata, motu eius autem non integro. Pollicis vero motus ita validus erat, vt frumenta in area triturandi currumque dirigendi viribus gauderet. Digiti enim paululum modo erant incuruati. Erat praeterea carpus sinistrae manus; vulnus vero in ipsa articulatione et cum magna partium dilaceratione.

p. 107. 26) *Fluxio ad genam cum dilaceratione canalis Stenoniani.* Haec fluxio cauſſabat intumeſcentiam faciei cum impotentia aperiendi oris, in hoc praecipue latere, cui accedebat abſceſſus, quo et canalis Stenonianus arroſus fuit, vnde et multa ſaliua profluebat. Nihilominus tamen ductus iterum obturabatur et poſt ſeptendecim dies aeger plane conualeſcebat, ipſa ſaliua ſolitam demum viam progrediente.

p. 118. 27) *Hiſtoria valde curioſa brachii ſphacelo corrupti.* Omnia reſpuebat aeger remedia, malum indies increſcebat et vlterius proſerpebat ita, vt brachio vſque ad ſuam originem ſphacelato, ligni inſtar durum et carni fumo indurato aequaliter nigrum appareret, nec vllum cadaueroſum odorem proderet, ſine omni dolore, cum appetentia vegeta et ſomno tranquillo. Non multum poſt decidit brachium ſponte ſine omni haemorrhagia, partes brachii cum iunctae exſiccantur nilque fluidi ſtillant. Bene valet ſenex.

28) *De tendine Achillis diſciſſo, artificioſa deligatione feliciter ſanato.* Redintegratio huius tendinis intra quatuordecim dies a Noſtro eſt praeſtita, ita, vt aeger ad conſueta negotia verſus ne minimum quidem ſentiret incommodum.

XVI.

Dissertatio anatomico chirurgica inaug. de aneurysmate; oblata notabile aortae aneurysma diuulgandi occasione. Auctore IACOBO VERBRVGGE ad diem VIII. iunii 1773. L. B. apud Iacobum Donzi. 4. pagg. 110. praeter dedicationem, proemium atque theses ad finem additas. c. tab. aen. VI.

Ordo, quem Noster in hoc eleganti libello academico eoque profecto pretioso sequebatur, est hic: primum quidem describit cor vasaque maiora, dein aneurysmatis etymologiam, diuisionem ac definitionem dat, in eius causas inquirit, illius effectus tradit, signa diagnostica atque prognostica enumerat. Postea specialem aneurysmatum aortae pertractationem exhibet, ac denique supra memoratam obseruationem, figuris splendidissimis adiicit.

Aneurysma diuiditur in verum, spurium et mixtum. Verum est, quando parietes arteriae cuiusdam spatium iusto capacius circumscribunt. Spurium est id, quod fit arteriae cuiusdam parietum, qua integri requiruntur, ob cohaesionem fibrarum fere solutam perforatione, quae humores contentos in vicinas partes elabi finit. Hoc spurium genus cum Ill. HVNTERO *) in duas species diuiditur, diffusum nimirum atque circumscriptum. Mixtum Ill. HVNTERVS **) pariter inuenit. p. 15.

Causas

*) Medical obs. and Inquiries Vol. I. art. 26. p. 323. comm. nostr. Vol. VIII. p. 315.

**) ib. p. 340. comm. nostr. Vol. VIII. p. 316.

p. 19. Cauſſas Noſter hic perſequitur, quae vires pa-
rietum arteriarum contranitentes debilitant, 1) en-
geſtam vberioris ſanguinis molem, 2) ſangui-
volumen expanſione auctius, 3) impeditum tra-
ctum, 4) impetum aduecti ſanguinis enormem, 5) pa-
rietum robur imminutum, 6) eorum, quibus a te-
ris fulciuntur arteriarum parietes, ablationem, 7) ar-
teriae niſum contra ictum ſubitaneae percuſſio-
quam cauſſam haud immerito Auctores addidi-
Noſtro videntur.

p. 23. Hae erant cauſſae veri, iam cauſſas ſpurii vi-
bimus. 1) Vires externae mechanicae, 2) rupt-
3) diabroſis. Mixti cauſſas deriuat cum Ill. HVN-
TERO *).

p. 27. Exemplorum, quae a Noſtro ſecundum ſeni-
harum cauſſarum hic narrantur, duo nomina-
Quae ſpectant potiſſimum haereditariam diſpoſi-
nem ad cordis aneuryſma, atque polypos ide-
cauſſantes.

p. 41. Inter effectus aneuryſmatis refert Noſter e
omnium eorum, quae prope ſunt, eroſionem,
quin imo cariem oſſium, quae ab acri humore
tranſſudante efficitur.

p. 56. In ſignis commemorandis aneuryſmatis dum
verſatur Noſter, primo agit de pulſatione, quae
non abſolute requiritur ad aneuryſmatis diagnoſin,
dein duritiem vel reniſum tumoris in aneuryſma-
bus ſaepe deeſſe, e contrario mollitiem interdum
adeſſe ſtatuit. Calor cutis diu interdum abſque mu-
tatione manſit. Deriuant quoque a pulſu reliqua-
rum arteriarum ſignum aneuryſmatis. Pulſus certe
in interioribus aneuryſmatibus vtplurimum con-
tractus, renitens, conuulſiuus et intermittens
obſerua-

*) v. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 316.

obſeruatur, praeſertim in brachio viciniori, nihilominus tamen et hic inſignis deprehenditur inconſtantia.

Sed haec hactenus de veris, iam de ſpuriis aneuryſmatum ſignis. Diſputat quoque Noſter hic de ſignis mixtorum aneuryſmatum *) inſimulque inquirit in ſigna cordiaci aneuryſmatis. p. 62.

De curatione aneuryſmatum hic agit Noſter. Atque hic vincturam, compreſſionem, arteriaeque interceptionem contemplatur Noſter atque exempla **) Auctorum examinat. p. 70.

In ſectione octaua ſpecialiorem Noſter exhibet aneuryſmatis arteriae aortae pertractationem, notabili caſu illuſtratam. Ad primarias cauſſas, obſeruationibus ſuffultas refert Cl. Auctor niſus vehementiores externos in motu, lapſu, violento curſu, ictu ferino, validis corporis et thoracis potiſſimum percuſſionibus et ictibus, dein huc refert ſpinae diſtorſionem, polypum, diſtractiones febiles, acrimoniam humorum motam, aëris retentionem intra pulmones nimis diuturnam. p. 84.

Sequitur nunc notabilis aortae aneuryſmatis obſeruatio. Hic tumor, in ſummo pectore ſeſe ingebat, inſigniter palpitabat atque vti ex figura prima patet, conum referebat. Durabat ille tumor per quatuor annos, ortus per niſus externos vehementes. Ad tactum durus erat. p. 102.

Demum

*) v. comm. noſtr. Vol. VI. p. 610. ib. decad. II. Suppl. I. p. 58. ib. 187.

**) v. ib. Vol. XVIII. p. 33. ib. decad. II. Suppl. I. p. 187. ib. Suppl. IV. p. 671.

p. 103. Demum autem cutis valde tenſa magis magisque praecipue ad apicem inflammabatur atque a mediis antiphlogiſticis fruſtra adhibitis in gangraenam tendebat, quae, paulatim ſeſe extendendo denarii circumferentiam adaequabat. Pars ergo illa ita attenuata, vt, cum forte aliquid huic depoſitum, attolleret aegra, ea ſumma vehementia diſſiliret, adeo quidem, vt polypi fruſtum, quod anteriorem tumoris partem adimplebat, ad ſatis magnam diſtantiam proiectum, ſecum abſtulerit partem cutis anteriorem gangraenoſam, quod aliud, at multe minus, fruſtulum cum multo ſanguinis ſequebatur et vltimum idque maximum cum ſanguinis horribili torrente, erupit et aegram trucidauit.

p. 104. Vulnere eiuſque ruptura et profunditate conſideratis reperiebatur magnum foramen in medio oſſe ſterni, quod pectoris cute incisa atque muſculis ſeparatis diſtinctius in oculos quaerentium veniebat latitudine ſua duos pollices Tab. IV. fig. 1. longitudine vero duos et dimidium aequans ib. acutum vndique in ſuo ambitu ib. Porro locus in eo foramine reperiebatur firmiter et vndique accretus fibroſusque. Ibi nimirum arteriae aortae truncus, vbi ex ſiniſtro cordis ventriculo exortus ſupra pericardium emergit, dilatatus erat in praemagnum ſaccum aneuryſmaticum, Tab. V. et VI. qui firmiter accreuerat ambitui interno foraminis in ſterno, et cuius parietes ita indurati erant, vt maxima eorum pars in cartilagineam vergeret ſubſtantiam. Tota ferme ſterni pars ſuperior perierat et loco eius illud foramen, infra quod, aliud, in ſaccum penetrans, foramini lum occurrebat.

In

In hoc praeterea facco polypus longus, durus p. 105.
ac fragil friabilis, a supra *) dictis, lamellis fibrosis diuersus ita, vt huius lamellae digitorum contractione longe facilius separarentur. Situs erat inter sternum atque foramen, quod in fundo sacci manifestum et margine quodam calloso eminente distinctum directe cum ipso aortae trunco, seu potius radice communicabat: vti ex tab. V. apparet. Totum fere saccum ita implebat massa haec polyposa, vt ne vllum ferme locum retro venienti sanguini relinquere videretur.

Saccus vero ita amplus erat, vt pugnum admitteret et arcus aortae adeo dilatatus, vt ostia vasorum ex illo prouenientium, solito more trium, hoc vero in casu quatuor, arteriae nempe innominatae, quae ortum praebet subclauiae et carotidi dextri, carotidis, vertebralis, subclauiae sinistri lateris, maiora, quam solent, apparebant.

Pectoris in cauitate et pericardii colluuiei serosae nodorae, minime acris satis magna copia continebatur. Praeterea omnia sana deprehendebantur. Atque ita, figurarum in sex tabulis explicatione addita, finitur haec obseruatio.

XVII.

Historia tracheotomiae nuperrime administratae edita a F. WENDT. Med. Doct. Celsiss. Princ. Anhaltino Plissensi a consiliis cet. Vratislawiae impensis Ioannis Ernesti Meyeri 1774. 8. pl. 1.

Operationis huius chirurgiae difficultate non parua et vtilitate non minori satis demonstratis, narrationem ipsius casus, quem hic tradit, aggreditur.

*) v. comm. nostr. Vol. XIX. p. 165.

greditur Cl. Auctor. Puella cum glande in ore [illegible] et perterrita violentius aërem inſpirat, qui illum tracheam detrudit. Tuſſis vehementiſſima et mendi conatus eam mouebant, ſed non pro[illegible] poterant. Quapropter interdum reſpiratio facilior, glande ſcilicet ad ſuperiores [illegible] cartilagines laryngis delata, contra ea violen[illegible] et conuulſiua oriebatur tuſſis, ſi ad bronch[illegible] principia, deuidens inſpirandum arcebat, tunc enim aderat ſuffocationis metus.

Nihilominus tamen ita miſere aegra per [illegible] vem fere dies viuebat, antequam ad Noſtrum accedebat, qui, morbo explorato, operationem quam ſubitiſſime inſtituendam ſuadebat. Haec quoque tandem aliquando eſt ita feliciter facta, licet haemorrhagia et tuſſis crebra a valde aegrae ſenſibilitate eam valde morabatur. Sexto die integumenta penitus redintegrata, vulnus bene coalitum aegraque ſanitati integrum ſit reſtituta. Tardiſſime haec operatio inſtituta, et muſculis ſterno-hyoideis et thyr[illegible] reclinatis, ſpongioſaque tela cante diſſecta haemorrhagia inprimis oboriebatur, quae potiſſimum operationem retardabat et optime aqua ſclopetaria THEDENII *) eſt ſopita.

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 597.

XVIII.

diſquiſition of the ſtone and gravel, and other diſeaſes of the bladder, kidneys, and the occult cauſes of the ſtone aſſign'd, its principles explain'd; with the manner of its accumulation; and by what means a nucleus is firſt form'd, which generates the ſtone; with the moſt rational method of cure. By WIL. ADAMS, Surgeon, London. — The fourth edition. London: printed for P. Shatwell, Bookſeller C. Nicoll, H. Parker, and I. Southern. 8. mai. pagg. 88.

i. e.

Diſquiſitio calculi ac ſabuli, aliorumque morborum veſicae vrinariae, renum, cet. Auctore GVILIELMO ADAM, chirurgo Londinenſi. Editio quarta.

Editio, quae in noſtris manibus eſt (nam antecedentes non vidimus, neque recentiores adhuc ſubſequutas eſſe aut ſubſequutum iri dubitamus, praeſertim quum Auctor ipſe eas polliceatur), anno huius ſeculi ſeptuageſimo tertio prodiiſſe videtur. In praefatione falſitatem aſſerti euincit, non dari curationem radicalem calculi, praeter ſectionem, qua tamen cauſſa non tollitur: hoc igitur momentum, dubiumque euentum operationis ipſius, inuento ab Auctore medicamento maius pondus addere, cet. In tractatione ipſa primo de viis vrinariis, tum de vrina, poſtmodum de ſabulo, dein de calculo, ſymptomatibusque vtriuis morbo competentibus diſſerit, ac poſtremo loco ad curationem diaeteticam et pharmaceuticam, et inde ad ſpecificum a ſe inuentum remedium progreditur.

p. 14. Cantharidum et terebinthinae, nonniſi extra corpori admotorum, actio in vias vrinarias ſolas, et mercurii, penetrantiſſimi remedii, actio in calculo nulla, poſſibilitatem remedii vi ſpecifica calculum
p. 16. ſoluente praediti probant. Exemplum renis dextri fabulo in maſſam ſilicinam formae trunci arboris cum ramis concreto repleti, aeger tamen nunquam dolorem acutum hac in parte ſenſerat, et ſuppreſſione vrinae moriebatur. Alius ſubito ex haemorrhagia
p. 20. a calculo renali in vreterem ſiniſtrum transgreſſo peribat. De variis nucleis, primam calculo baſin praebentibus, et de diuerſa horum mirandaque ſaepe magnitudine, inprimis de calculo, qui recens extractus pondus 51 vnciarum aequauit.
p. 26. De ſimilitudine quadam inter paroxyſmos calculi et febris intermittentis. Eas regiones, in quibus ex fructibus horraeis fermentatione parata potus genera vſurpari ſolent, multo minorem calculoſorum copiam praebere, quam vbi cereuiſiae craſſiores neque a fecibus ſatis depuratae in vſu ſunt.
p. 31.
p. 33. Gallos itidem huic morbo magis obnoxios eſſe
p. 36. quam Anglos; an forte a Sequanae aqua? De viciſſitudinibus incrementi calculorum, ſtratiſque ſibi incumbentibus, ex quibus iidem conſtant. De inſufficientia remediorum internorum, hactenus aduerſus morbum hunc in vſum ductorum, et in primis ſaponis, quem prorſus reiicit Noſter, et
p. 39. ipſo adeo celebri exemplo Ill. WALPOLE*) adducto monſtrat, eodem remedio mortem huius viri properata reſolutione putrida omnium humorum acceleratam fuiſſe. Id autem, quod ipſe commendat, ſpecificum non prorſus a ſe ipſo inuentum
p. 45. eſſe monet; ſed occaſionem ſibi enatam eſſe ad obſeruationibus aliorum, quibus conſtiterit, aeternum fixum praebere vinculum, quo partes calculi compingan-

*) v. comm. noſtr. Vol. III. p. 10. 12. Vol. IX. p. 681.

ligantur inter se, idque eo magis, quo arctius et copiosius eidem sal acidus adiunctus fuerit: hoc ergo vinculum a nullo corpore efficacius solui, quam ab alcali fixo, quod autem Noster in vehiculo mucilaginoso ita temperauit, vt ventriculo nullum malum inferat, et tamen vires suas in viis vrinariis exserat: adeo vt ne tenerrimi quidem infantes *) eodem laedantur. Sanctissime obtestatur, hoc remedio se aegrum quendam sanitati citius restituisse, quam si idem operationem chirurgicam tempore nimis minus apto sustinuisset. p. 49.

Exempla calculorum vrina hoc liquore saturata extra corpus solutorum: vnus granorum 22 intra 11 dies 7 granis leuior factus est, quum alius granorum 11 intra 14 dies vrinae sanae expositus ponderis granorum 14 augmentum cepisset: prior, superfusa eiusdem, vt antea indolis vrina, per 5 dies calori 46 graduum therm. Fahrenheit. expositus in meram mucilaginem versus est. p. 51

Iam de carunculis vrethrae eiusdemque angustia exponit Noster, quae vitia facile confundi possunt cum affectibus calculosis, remedia autem omnino diuersa requirunt. Si carunculae adsunt, cereis opus est nonnihil escharoticis et sollicite parandis: strictura vero vrethrae eosdem nonnisi simplices postulat. p. 53.

Porro iterum quaedam de nouo specifico liquentriptico, quae fere eadem repetita tantum fiunt, quae antea iam dicta fuerant. Aquam calcis viuae innocentissimum remediorum huc vsque vitatorum pronunciat, et nisi aluum constipet, loco potus ordinarii aquae communi praefert. p. 57. p. 64.

De curatione calculi in infantibus, quibus morbum hunc communissimum esse asserit: ipse vidit infantem septimestrem misere perire, in cuius vesica vrinaria calculum nucis auellanae magnitudine, porosum, p. 65.

*) v. comm. nostr. Vol. XX. p. 425. ib. 696.

ſum, friabilem, ſuperficie aſperrima, depreh
p. 68. In infantibus diaetam lacteam et mel, nisi
aluus nimis laxetur, maxime commendat
vſum etiam adultis proficuum cenſet. Spec
a ſe inuentum vix vnquam primis viis vim
tradit: ſi vero aluus iuſto laxior inde redditur,
lum nucis moſchatae toſtae, vel vini auſteri
tus vini; ſin adſtrictior, magneſia cum rheo
p. 70. Exemplum praefecti militaris, qui
plumbeo in veſica vulneratus eſt, poſtmodu
cleum calculo praebente, a quo operatione
p. 72. batur. Tabula, in qua efficacia ſpecifici
ſoluendo calculo cum diuerſis potulentorum
p. 75. ribus comparatur. Denique exempla curatio
nonnullis aegris, hic nominatis, et ad partem
priis eorum teſtimoniis adductis, praeſtita
rum alia adhuc in praecedenti editione
xiſſe Auctor addit, et permulta alia ſequenti
p. 87. ni reſeruat, ad obiectiones ſibi faciendas
ac denique, vbi vrgentior fuerit caſus,
medicamento interno locus relinquatur,
mentum inueniſſe ait, quo idem facillime
cam immitti poſſit.

XIX.

Obſervations ſur la phyſique, ſur l'hiſtoire naturelle & ſur les arts, avec des planches en taille-douce. Par Mr. l'Abbé ROZIER. A Paris chez Ruault. Vol. I-XVIII. 1771-1772.

i. e.

Obſeruationes, quae ad phyſicam hiſtoriamque naturalem et artes ſpectant collectae a C. ROZIER. Vol. I-XVIII. *).

*) Prodiit etiam naper notabiliorum tractatuum ex hoc libro verſio Germanica, hac inſcriptione: *Sammlung brauchbarer Abhandlungen aus des Herrn Abt* ROZIER *Beobachtungen über die Natur und Kunſt. Erſter Band. Mit Kupfern. Leipzig* 1775. 8.

Opus hoc non modo Gallis ad ea cognoſcenda, quae noſtris temporibus ab eruditis phyſicis eorumque naturae et artium ſtudioſis excogitata et ſcripta proferuntur, aptiſſimum; verum etiam aliis nationibus haud dubie vtile recte exiſtimamus; praeſertim quod omnes, qui eruendae abſconditae naturae operam dant, ab Ill. ROZIERO humaniſſime inuitantur, vt ſecum labores, qui continuo huic ipſi libro inſerantur, communicent. Apparuit enim ſingulis menſibus inde a Iulio anni milleſimi ſeptingenteſimi ſeptuageſimi primi volumen vnum, ſingulis circiter duodecim conſtans et ad illuſtrandas res, de quibus diſſeritur, tabulis aeneis ornatum. Sed quemadmodum hoc opus ad ingentem iam amplitudinem creuit: ſic facile intelligi, fieri non poſſe, vt ſemper hic nouas res, aut iam niſi genuina ſcripta reperias. Atque, cum multa ex aliis ſcriptis, praeſertim vero commentariis academiae regiae Pariſienſis, actisque Diuionenſibus et Taurinenſibus huc translata ſint, tum etiam librorum inſigniorum nuperrime publici iuris additorum epitome reperiatur, nec non ſpecimina academica, aliaque Anglorum non ſolum, ſed etiam Germanorum, Suecorumque ſcripta hic Gallicis litteris explicentur: ſufficere arbitramur, ſi nos tantum de iis ſcriptis, quae a Gallis ipſis perfecta hic nobis occurrunt, pauca verba faciamus, eaque breuiter, vt ſolemus, indicemus. Primum autem quod prodiit, huius operis volumen, ſcripta genuina et ad nos pertinentia continet haec:

Menſe Iulii.

Annus 1771. p. 157.

Papilionum alas chartis affigendi earumque pulchritudinem conſeruandi ratio. Nihil certe noui aut quod ab aliquo Papilionum colligendarum amico ignoretur, hic reperies.

p. 181. *De insectis noxam praecipue vineis inferentibus dissertationis pars prima;* cum qua alterani coniungimus, quae libello pro mense Augusto [illegible] serta reperitur. Annumerantur autem iis [illegible] *baeus Melolontha et Curculio Bacchus* LINN. tum etiam *Cryptocephalus niger* elytris rubris OLIVIER, et *Chrysomela viridis, et nitidula* LINN. quae omnia adiectis iconibus pulchris illustrantur.

p. 211. *Tartari crystallos parandi purificandique ratio, quae apud Venetos in usu est.* Vasis, aliisque instrumentis huc pertinentibus, iconibus illustratis, ad ipsam rem explicandam Ill. ROZIER, qui hanc doctrinam a Cl. DESMAREST accepit, progreditur. Ea autem huiusmodi est: Tartarus crudus omninoque vini feces primo in vasis formis moderato igne ab omni humiditate liberentur, tumque agitando in puluerem redigantur. Deinde tartarus hoc modo exaltatus, vasisque ligneis in doliis exceptus et iusta aquae ebullientis copia [illegible] lutus, lixiuium suppeditat, quod decantatum tartari sordes indissolubiles velut sentinas in fundo vasorum relinquit, bonasque quidem, sed immundas adhuc crystallos largitur. Ad has porro mundas reddendas necesse est, vt denuo in aqua pura in aheneis vasis soluantur, idque leni subministrato igne et lixiuium ipsum palis saepe agitando fiat. Atque cum primum lixiuii color in subrubrum aut flauum conuertitur, ignis vis ita per horam dimidiam intendi debet, vt ipsum lixiuium fortiter ebulliat. Denique huic lixiuio ebullienti albumen ouorum cum aqua frigida ab initio; deinde vero etiam cum sufficiente ipsius lixiuii ebullientis copia bene tritum affundi, cineresque adspergi oportet. His enim materiis adiectis efferuescentia et spuma caute demenda oriuntur; atque hoc quindecies repetito,

lio, liuioque refrigerato puriſſimae mundaeque cryſtalli obtinentur. Ceterum quoniam haec, poſt hanc cryſtalliſationem, ſupermanet aqua, quam ſalis copiam adhuc continet, eam Veneti nouos labores adhibendam aſſeruant.

Menſe Auguſti.

Meteori alicuius ignei deſcriptio. Auctore D. V. Iur. Doct. Hoc meteoron die ſeptimo decimo Iulii anni milleſimi ſeptingenteſimi ſeptuageſimi primi Pariſiis apparuit, idque ipſam lunam magnitudine apparente non ſolum, ſed etiam ſplendore multum exceſſit, atque graui multiſonoque fragore euanuit. p. 82.

Menſe Septembris.

Super iſta ratione, qua carnes per longum tempus frantes et bonae conſeruantur, obſeruationes. Carnes in vahis murrhinis aut fictilibus vna cum oleo oliuarum reconditas, per longum temporis ſpatium recentes et integras ſeruatas, perſaepe huius diſſertationis auctor anonymus, ſe vidiſſe, ait, quod, ſi nauigatores ſibi victum talem pararent, magnum iis in auertendo malo ſcorbutico commodum afferre poſſet. p. 75.

De inſectis vineis infeſtis detrudendis. Optimum et vnicum remedium eſſe hoc, vt vinitor vel pater familias omnes ſuos ſubditos iubeat tempore matutino aut etiam meridiano iſta inſecta diligenter legere, eaque extra vineas comburere. p. 130.

Menſe Octobris.

Plantas chartis commode imprimendi ratio. Haec methodus e manuſcriptis PIGERONII ducta eſt, p. 146.

eſtque ea, quam *Trampius* olim apud nos adhibuit. Res autem tota in eo poſita eſt, vt chartae tenuis folium oleo lini ſaturetur, fumoque totum nigrum reddatur. Huic folio deinde imponenda eſt planta, eaque charta alba tegenda. Sic vt ipſa planta inter vtrumque chartae folium commode coerceri, menſaeque aut alio corpori laeui et duro impoſita, dente lupi aut claue bene expolita fricari poſſit. Nam tota planta ſic colorem nigrum induit. Atque ipſa continuo chartae albae eodem modo, vt antea impreſſa, ipſius ſpeciem pulcherrimam nobis ſuppeditat.

p. 206. *De acinorum vuarum paſſarum vſu oeconomico tractatus.* Bonum nimirum aliquod oleum, quod oleo nucis iuglandis ſuauitate odoris ſapore non cedat, ex iis obtineri poſſe contenditur. Atque Italos vere his acinis ad hoc oleum parandum vti affirmatur, eiusque in Gallia quoque praeparandi atque vſus optatur.

Menſe Nouembris.

p. 114. *Vina adulterina cognoſcendi, fraudemque detegendi ratio.* Ea videlicet ratione, quae a chymicorum peritorum nullo ignoratur.

p. 204. *Plantae alicuius nouae deſcriptio et icon.* Ex America Septentrionali Lutetiam Pariſiorum translata, creſcit iam ibi in horto regio, appellaturque: Verbena americana, tubo floris longiſſimo. MONIERVS ei nomen *Obletiae verbenulaceae* in honorem OBLETII impoſuit.

p. 212. *Cementum turnacenſe parandi ratio,* Auctore Cl. CARREY. Id, cum e calce et cineribus anthracum

cum conſtet, ita durum et tenax poſt aliquot annos in ipſa aqua redditur, vt ipſis lapidibus durior euadat.

Menſe Decembri.

De natura roris diſſertatio, Auctore IOANNE ACCUM. Roris naturam non multum quidem a natura aquae pluuiatilis differre: eum tamen facilius hac in putredinem abire corrumpique, Auctor teſtatur. Atque deſtillatione ſe obtinuiſſe aquam fatuam, cui a nonnullis peculiares tribuerentur et diuerſae virtutes; ſed has non in ipſius roris, quam potius in plantarum, a quibus ipſe ros collectus quaſdam partes ſoluerit imbiberitque, natura eſſe quarendas. p. 25.

Lithanthraces mitigandi ratio. Auctore Cl. GARNEQUARS. Lithanthraces in aceruum accumulati carbonibus ligneis vndiquaque inueſtiantur: atque vbi hi comburuntur, vapores lithanthracum acres ſanitatique hominum infeſti ſimul diſſipantur. Modus autem adhibendus eſt, ne ob nimiam carbonum circa lithanthraces combuſtorum copiam, lithanthraces ipſi vna deſtruantur, nec niſi cineres relinquantur. Id homines in fodinis St. *Bellini* faciunt, atque lithanthracibus ſic mitigatis ad calefacienda domicilia commode in iſta regione utuntur. p. 176.

Lithanthraces in aptam formam, quae calefaciendis fornacibus inſeruiat, redigendi ratio. Auctore Cl. CARNEY. Contuſi nimirum lithanthraces et cribro decuſſi purificatique, atque cum aqua in paſtam ſubacti continuo in lateres formantur, exſiccanturque. p. 192.

Annus 1772. *Mense Ianuarii, anni 1772.*

Experimenta cum adamante aliisque lapidibus pretiosis instituta. Nos hic, quae in variis volum-
p. 131. nibus dispersa sunt, combinemus. Cll. ROUELLIVS et D'ARCET iis se reperiisse aiunt, adamantem v. ignis totum dissolui, eumque per aërem apertum sic, vt glacies fere in aëre sicco et frigido, dispar.
Mai. atque disparere. MACQVERVS autem, CADETVS et LAVOISERVS experimentis edoctl, adamantem tum quidem, cum in apertis vasis aëri libero expositus est, vi ignis dissipari aut destrui, tamen neutiquam in vasis clausis fieri testantur. Cl.
p. 105. MITOVARDVS item se vidisse confirmat, adamantem, puluere carbonum diligenter inuolutum, intensissimo igne nihil de suo pondere aut forma perdidisse: vbi vero adamas in fornace fusoria aëri libero expositus esset, tum id vtique accidisse. Rubinum autem solum nihil, ignis vi vehementissima, passum esse.

Iunius Postea idem Cl. MITOVARDVS expertus est, adamantem vitro puluerisato inuolutum facilius,
p. 122. quam aliis materiis vestitum, dissipari.

Sept. CADETVS deinde refert, adamantem quoque
p. 65. in vasis clausis destrui, nisi simul aliis materiis in-
p. 89. voluatur: idemque experimenta Anonymi confirmare dicuntur.

p. 224. His experimentis subiungamus epistolam, in qua de veritate atque valore omnium ante dictorum experimentorum dubitatur. Nam necessario requiri, vt primum ratio ipsius caloris adhibiti, vel eius maioris aut minoris gradus, cognita sit: neminem autem eorum, qui haec experimenta fecerunt, de metienda eadem cogitasse. Deinde etiam fornacum, aliarumque adhibitarum rerum descriptionem accuratam praemittendam fuisse: quod tamen

tamen factum non sit. Denique nouam caloris intensi vim, quae ebullientis mercurii thermometro contenti gradum excedit metiendi rationem proponit. Eaque huiusmodi est, vt corpora duritie diuersa, vel vt perspicue loquamur, corpora, quorum alia intensiore, alia leniore igne liquefiunt, in talibus disquisitionibus chemicis, igni simul exponantur, atque ex his liquefactis, ipsius caloris vis diiudicetur. Lixiuio v. c. aliquo bene saturato ebulliente primus; liquescente plumbo bismutho alligato alter; bismutho solo tertius; stanno quartus gradus terminari, et sic porro vsque ad vigesimum, qui pro infinito habendus est, progredi commode posse arbitratur.

His coniunctim excerptis, ad reliquas obseruationes redeamus: Ianuar. p. 171.

Curculionis granarii LINN. historia. Pars prima et altera. Miranda sane est huius insecti, suam prolem multiplicandi vis et natura. Nam progenies, quae per aestatem ex vna specie gignitur, ad numerum millenarium bis ter sumtum accedit. Sed aëre humido vaporibusque fumosis infecto facillime detruduntur. Febr. p. 249.

Mense Februario.

Obseruationes nouae a viris Cll. COULTAUD *et* MERCIER *circa attractionem Newtonianam institutae.* Pendulum nempe in fastigio montis alicuius alpini celerius, quam in proxima valle oscillasse, corporaque alia in excelsioribus locis maiore cum velocitate, quam in locis depressioribus, cecidisse, atque sic grauitatis legis, Newtonianis contrarias aut repugnantes his obseruationibus repertas esse hi duumuiri opinantur. p. 7.

Mense

Menſe Martii.

p. 212. *Auium, quae hactenus ab ornithologorum* [illegible] *deſcriptae ſunt, hiſtoria, adiectis iconibus illuſtr.* Altera auis Americana in terris meridionalibus habitans dicitur *Ralli* congener capite nigro, ſulcis ſupra oculos albicante; collo albicante, ſtriis angſtis, et maculis fuſcis nigrisque notato; dorſo nigro, tranſuerſim fuſco ſignato; vropygio albicante nigro tranſuerſim et vndulatim ſtriato; cauda et alis concoloribus, fuſco, nigro, et albo variegatis; abdomine ſqualide albicante; lateribus abdominis nigro tranſuerſim vndulatis; roſtro recto, ampla, mandibula ſuperiore nigra, inferiore cornea; pedibus longioribus ſubcarneis, ad dimidiam cruris partem plumis deſtitutis. Altera *Coturnix* fronte ſordide albicante; gutture fuſco; dorſo aliisque et cauda ſubfuſcis; abdominis parte media ſubfuſca; lateribus nigris; vtraque parte abdominis maculis amplis, rotundis, albicantibus, elegantem conſpergſa; roſtro nigro; pedibus plumbeis. Haec exſtitna Galliam miſſa eſt. Vtraque auis iam in tab. BENTONI opere picta reperitur.

Menſe Aprilis.

p. 185. *Terrae vegetatiuae, Buloiſienſis analyſi chimica* Auctore Cl. RIGAUD. Humi partibus vigintitribus et ſalis communis vna tantum parte cum conflet haec terra, magnam et mirandam, vt ipſe ait, fertilitatem agris affert.

p. 210. *Inſectorum quorundam hiſtoria et icones.* 1) *Leptura* Americana, tota nigra; pedibus poſticis longiſſimis, annulo pilorum cinctis. 2) *Cerambyx* Americanus ſubflaueſcens, nigro conſperſus; antennarum

rum articulis quatuor primis inferioribus piloſis. 3) *Cerambyx* Americanus nigricans; antennis longiſſimis, ſpinis tribus introrſum ornatis. 4) *Cerambyx* Americanus, capite et thorace nigricantibus; elytris ferrugineis; antennis introrſum ſpinoſis.

Accipitris Americani deſcriptio. Accipiter totus cinereus, cauda ſubnigricante, duplici faſcia alba, pedibus rubris. Videtur eſſe *Lanii cinerii* BRISSONII varietas. Ceterum ipſe adiecta icone illuſtratur. p. 217.

De cultura rubiae tinctorum diſſertatio. Dignam hanc, quae ab agricolis ipſa diligenter legatur, diſſertationem Ill. comiti DE CLAVSONETTE debemus. Nam ei aliquis Perſa, qui nunc in Gallia degit, hanc rubiam tinctorum colendi opportuniſſimam rationem communicauit. Atque eius artificium in eo videtur ponendum, vt ipſum ſemen rubiae Smirnenſe in ſucco ipſius plantae et radicis rubiae, cum aliqua parte aquae vitae commiſto emollitum, adhiberi debeat. p. 240.

Menſe Iunii.

De puella, quae perditis pedibus manibuſque curre ualiter ſaltareque potuit, obſeruatio. Nupſit haec puella viro et breui mater ſani pueri facta eſt. p. 119.

Muſcarum quarundam vegetantium hiſtoria. Ci*mdae* nominatim Americanae, alis ſuperioribus maculatis. Deinde C. Americanae albidae, alis ſuperioribus nigro punctatis. Tum duarum *Blattarum*. Denique inſecti, quod *Ichneumon* appellatur, in quibus omnibus putrefactis plantae naſcuntur ſingulares. p. 199.

Menſe

Menſe Iulii.

p. 63. *Opinionis* Ill. *Abbatis* BACHELEY, *qui lapides cum fulmine de coelo lapſum credebat, refutatio.* Auctoribus Cll. CADETO et LAVOISIERO. Contis ſcilicet argumentis haec opinio refutatur.

p. 77. *De iis, qui aquam ſub terra fluere ſe videre dicunt, epiſtola.* Multum de hac re Auctor philoſophatur, neque hoc ridiculoſum, vt putandum eſſet, reddit. Vaporibus enim exhalantibus homines talem aquae ſub terra fluentis curſum cognoſcere putat.

p. 261. *Obſeruatio cuiuſdam perrari effectus, a fulmine ictu profecti,* Auctore Cl. LAVOISIERO. Hic certe nihil, quod nouitatem prodat, reperitur.

Menſe Auguſti.

p. 107. *Experimentorum, cum diuerſis vini generibus, quae pro adulterinis habebantur, commemoratio.* Auctore Cl. BAUME. Neque hic aliquid noui reperies, niſi fortaſſe hoc, quod non ſolum vinis ipſis, ſed etiam eorum fecibus, et extractis diligentiſſime exploratis, omnia innocentia et bona fuerunt.

Menſe Septembris.

p. 89. *De remediis, quibus monachi in Delphinatu Chartheuſii vulgo dicti, impediunt, quo minus ab iſto monte, quem ipſi incolunt, fertilis terrae cruſta temporibus pluuioſa delauetur.* Nemoribus nimirum, ſolliculis et vallibus diligenter exſtructis. Sed digna, quae ipſa legatur diſſertatio.

p. 95. *De arundine Bambos* LINN. *obſeruatio.* Auctore Cl. DVBVISSONIO. Singulos nempe nodos huius

huius arundinis peculiari gluma tenſa, quae multis aculeis ad auertenda inſecta munita ſit velut membrana circumcinctos munitosque eſſe; atque hanc plantam tam celeriter per annos quatuor crescere, vt quinquaginta pedibus fere excelſior, eius ambitus autem quinque pollicum maior fiat: neque hanc arundinem antea quam totam iuſtamque ſuam altitudinem acquiſiuerit, ramosque ſuos omnes formauerit, folia emittere, quae, nonniſi admodum parua, circa ipſius plantae nodos appareant; ſemen eius ex Africa in Americam vento per aërem eſſe vectum, Auctori veriſimile videtur.

Obſeruationes de quibuſdam piſcibus electricis. p. 176.
Id eſt de *Raia torpedine* et *Gymnoto electrico*. Sed torpedines inter ſe differre, earumque formas quatuor inprimis a RONDELETIO et IONSTONO numerari auctor ait. Ceterum non modo hae quatuor formae *Torpedinis*, verum etiam *Gymnotus electricus* iconibus quidem, ſed infoecundis et minus illuſtrantur.

Menſe Octobris.

Omnium thermometrorum ſcalas in vnam ta- p. 147.
bulam redigendi easque inter ſe comparandi ratio. Si quis hanc comparationem ignoret eamque tamen ſcire velit, is ipſam hanc diſſertationem legat neceſſe eſt. Nam non modo omnia fere thermometra hic ad thermometrum Reaumurianum, velut principatum tenens, redacta reperiuntur; ſed commorantur etiam multae, quas certe hic nemo quaerat, cum hoc inſtrumento factae obſeruationes. ſed omnino nihil noui inuenies.

Circa

p. 198. *Circa congelationem aquae, obſeruationes quaedam. Auctore* Cl. LAVOISIERO. Mercurium in thermometro, glaciei liqueſcenti immerſum, non prius, quam omnis glaciei copia ſoluta eſſet, ſupra limitem, qui glacialis appelletur, aſcendiſſe, Cl. Auctor vidit.

p. 201. *Obſeruationum ſuper noua aliqua oſtracie ſpecie pars prima. Auctore* Ill. *Abbate* DICQUEMARO. Altera enim ſectio menſis Decembris p. 151. tertia anni ſequentis p. 473. quarta Maii anni milleſimi ſeptingenteſimi ſeptuageſimi quarti p. 327. et quinta denique Aprilis huius anni p. 350. voluminibus continetur. Nos ſummam omnium hic tradamus. Hi vermes marini, qui in oris maritimis Galliae meridionalibus, inprimis autem prope *Portum gratiae* habitant, in duo genera, quorum vtrumque rurſus in duas ſpecies ſecedit, diſtribuuntur. Alterum colore rubro notatum, lapidibus maioribus aut conchis plerumque adhaeret atque in aqua marina mera tantum viuit, non niſi magnitudine inter ſe differt. Alterum vero genus, quod non modo magnitudine priori multo inferius atque exile admodum tenerumque eſt, ſed etiam tantum ſabulum in maris fundo incolit, coloreque ſubuiridi diſtinguitur, in eo diſcrepat, quod alii tentacula alba, alii autem flaua habent ſunt. Eorum dimidium corpus vna cum tentaculis omnibusque aliis partibus ſuperioribus, reſectis, in integrum a natura reſtituebantur, ita, vt tale animal, elapſo circiter vno menſe, denuo conchis cancriſque veſceretur. Tentacula autem ipſa per aliquot dies poſteaquam a corpore diuulſa eſſent, adhuc ſigna manifeſta irritationis dediſſe, Auctor teſtatur. Atque haec animalia neque in aqua marina, quae hyemali tempore aëri libero ad congelationem

lationem per totam noctem exposita esset, nec quando haec aqua subito caleferet, neque in vacuo Guericciano periisse. Id autem continuo euenisse tum, cum iis aquam fontanam vel omnino dulcem effunderet. Minora haec animalia a maioribus devorari, atque quaedam eorum suam prolem per os edere se vidisse Auctor porro ait, tempestatumque varietates pronuntiasse. Iconibus praeterea non tam veris, quam elegantibus adiectis illustrantur.

Mense Nouembri.

De aceti vini, prae reliquis acidis, salubritate p. 176.
Auctore Cl. BENEVENUTI. Acetum vini difficilius tardiusque in glaciem ipso vino cogi se vidisse Auctor hic affirmat, maioremque caloris gradum quam hoc, ceteris omnibus paribus, asseruisse. Interea, quae praeterea de eius virtute sanandi dicuntur Cl. Auctor aceto frequenter quidem, sed in exigua copia porrecto, se crura brachiaque gangraena deprauata, alias certe demortua, saepe conseruasse fatetur; atque anguillulas in aceto phyticis microscopio repertas, fictas, easque inter visa somniorum referendas putat.

Lanii Carolinensis icon eiusque explicatio. Capite, collo, pectore, dorso, alis, caudaque nigris, ventre in medio albo, ad latera rufo. p. 181.

Obseruationum tempestatis rationem decernentium narratio. Auctore Cl. MACAGE. Hae obseruationes in meridionali Americae parte Guiana dicta sunt. Atque ius repertum est, primum a mense Decembris vsque ad mensem Aprilis ventum Superiatem diu, noctu autem Austrum flare. Verum a mense Maii vsque ad mensem Nouembris Austro p. 185.

noctu, diuque Fauonio se agitari. Deinde per primam anni dimidiam partem plus, quam per vltimam ibidem pluere. Tum solem suam vim maxime a mense Augusti ad mensem Nouembris exercere. Atque denique intensissimum frigus mense Februarii terram contrahere.

p. 189. *De monstro aliquo canino epistola.* Hunc enem vtriusque sexus partibus genitalibus quidem, sed difformibus abundasse, atque quamquam pedibus quinque praeditus fuisset, tamen tribus tantum claudicando incedisse. Videtur natura canem geminum facere voluisse, sic, vt duo pedes breuiores atque genitales masculinae alteri cani, nequaquam satis euoluto, tribui possent. Hac epistola aliarum etiam obseruationum mentio fit. Prima enim est de peculiari vmbilici alicuius pueri forma. Frustuli carnis oblongi eum fuisse similem atque proxime supra penem, in quem ipse incumbere, protuberasse, penemque pressione sua diuturna vlut excauasse. Altera autem de serpente est, quem aliquem hominem aluo deiecisse Auctor huius obseruationis anonymus putat. Sed quia opinati serpentis longitudo pedes duodecim fere excedisse, atque eius crassities crassitiei minimi digiti tantum aequalis fuisse traditur: eum potius pro lumbrico, quam serpente habendum esse arbitramur.

p. 201. *Veruecis hermaphroditi descriptio.* Mentulam huius veruecis non fuisse perforatam; clitoridem vero habuisse exiguam; atque vterum orificio vel apertura caruisse dissectione repertum est.

p. 231. *Cannabem exaltandi emolliendique ratio.* Ea omnis in eo ponitur, vt cannabis in fasciculos ligata, lixiuio, ex sale sodae calceque parato, feruido per

per sex propemodum horas maceretur. Atque hac ratione, cannabem, Perſicae bonitate et tenuitate ſimilem obtineri, Auctor huius diſſertatiunculae teſtatur.

Menſe Decembris.

Experimentorum, vitro cauſtico Tſchirnhauſiano, a clariſſimis CADETO, BRISSONIO et LAVOISIERO *inſtitutorum enarratio.* Aurum a coactis in vnum velut punctum, quod focus appellari ſolet, radiis ſolaribus liquefactum, toties orbem purpureum in baſi, quacunque ex materia ea facta eſſet, relinqui, ſe vidiſſe aiunt, quoties ipſi hoc experimentum inſtituerent. Deinde fumum eosdem tam ex auro liquefacto, quam ex argento exhalantem, qui per ſpatium quinque aut ſex pollicum etiam aſcenderet, percepiſſe, ipſaque haec metalla, ſuper baſi ſua, fuſa ſemper in orbem a radiorum ſolis vi circumacta, vehementiſſimeque earum partes liquefactas et agitatas eſſe. Terram denique ferruginoſam atque omni principio igneo, quod phlogiſton vulgo appellatur, deſtitutam, ferri naturam absque vllo phlogiſto adhibito, a radiis ſolis acquiſiuiſſe. p. 93.

Plantarum cuiuſcumque generis ſiccarum pulchritudinem naturalem conſeruandi ratio. Auctore C. MONTIO. Plantas nimirum in aridum ſabulum diligenter immerſas cauteque in eo diſpoſitas, et ita ſiccatas, non modo earum ſpeciei elegantiam, verum etiam colorum venuſtatem naturalem retinere hic affirmatur. p. 132.

Atque huius libri forma, quae duodecima appellatur, ſimul deſinens, anni ſubſequentis initio

quarta forma apparere cepit. Nos autem [illegible] quae pro ſingulo menſe eiuſdem anni volum[illegible] continet, praecipua proxime commemorabim[illegible] rerumque nouarum, quae nobis occurrent, Lectoribus noſtris copiam faciemus.

XX.

P. S. PALLAS *Reiſe durch verſchiedene Provinzen des Ruſſiſchen Reichs. Erſter Theil. St. Petersburg.* 1771. 2 *Alph.* 18½ *Bog. in* 4. *mit* 25 *Kupf.*

i. e.

Iter per diuerſas Ruſſici imperii prouincias. Auctore P. S. PALLAS. Pars prima.

Gratulandum eſt vtique omnibus, qui naturae cognitioni ſtudent, de impenſa benignitate, qua Auguſta Ruſſorum Imperatrix CATHARINA II. litterarum ſtudia tuetur et promouet, ita, vt etiam viros doctiſſimos, ſumtibus ſuppeditatis, inſtigarit, qui in remotiſſimis terris latentes naturae theſauros palam redderent. Ex his eſt etiam Cl. Auctor, qui hoc, quem indicamus, libro obſeruationes in itinere factas ſolita ſua ſollicitudine et doctrina curate et perſpicue proponit. Prima huius parte deſcribitur, iter per Ruſſiam atque ſortalitium Calmuccorum vicinasque terras vſque ad alpes Vralenſes in vrbem *Vfa* inſtitutum. Itaque regiones, circa fluuios Moskua, Mordua, Volgam, Okkam, Sokkum, Rhymnum ſ. Iaikum deſcribit, quibus ad litora maris Caſpii vſque et regione circa *Gurief* perluſtratis, reuerſus eſt, et trans ſortalitium Barskirzenſe Vfam profectus eſt. Vbique notauit mutationes globi terraquei, praeſertim ratione

sine terrarum, et lapidum, quae montes et planitiem constituunt; vnde, si omnia inter se comparantur, successio lapidum primaeuorum, quam Cll. Viri FERBERVS *) et DE BORN **) obseruauerunt, non parum confirmatur: etsi Noster, ad hanc successionem, cum interiora telluris non intrauerit, non adeo attendit. Deinde sollicite plantas in quauis regione nascentes, et vnicuique proprias notauit, animantiaque in iis simul habitantia enumerauit nouaque ex his, vel minus recte descripta, breuiter in appendice descripsit, plantasque nouas depingi curauit. Animantium vero historiam pleniorem separatim, itinere finito, editurus est. Simul vbique insperſit obseruationes de vsu animalium et plantarum oeconomico et medico, incolis illarum regionum solito: modumque, quo mineralia illic fodiantur, erroresque in eo commissos notat, vestigia quoque de olim cultis fodinis indicat. Incolarum denique naturam, viuendi genus, mores, morbosque atque ritus, leges aliaque ad politiam pertinentia appositе et vberius enarrat. Omninoque ea, quae a perito et attento peregrinatore exspectari possunt, recte praestat. Facile vero ex his apparet, nos propter copiam obseruationum physicarum, quasdam tantum, quae nobis prae ceteris memoratu dignae visae sunt, commemorare ex instituti ratione posse; Lectoribus, qui omnino perfectam de naturae productis illarum regionum cupiant cognitionem, ipsam libri vtilissimi lectionem commendantes.

Circa *Broniza*, non procul a iugo Waldaico, collis est, in quo magna saxa granitica, diametro vnius aut p. 6.

 trium

*) v. comm. nostr. Vol. XX. p. 244.
**) vid. ib. p. 496.

trium filorum, quae 13 pedes Anglicos aequant, & perſa ſunt: quae, cum aquae vi vix moueri potuerint, alio forſan, quam reliqua ſaxa, modo ortus
p. 10. Auctori videntur. Montes *Waldaici* in parte boreali ſaxis ſimilibus graniticis abundant, carent autem petrificatis; in auſtrali autem eorum parte copioſa petrefacta, helmintholithi varii generis, in argilla nulla vero ſaxa reperiuntur. Ibidem copioſa *Ophrys bifolia* naſcitur, quam loco radicis *Salep* adhiberi poſſe monet.
p. 14 In Fluuio Moſkua *Spongia fluviatilis* reperitur, in qua Cl. Auctor nunquam vel minimam irritabilitatem, aut motum animalis animaduertit; eadem autem accenſa, animalem
p. 15. odorem ſpargit. Eodem in flumine laruas *Ephemerae horariae* argillam terebrant, quae foramina cum etiam in *Silice igniario* reperiantur, hunc et argilla ortum eſſe probare Noſtro videntur, quam originem confirmant in riuo *Sunghir* inuenti eiusmodi lapides, qui in diuerſo gradu duritiei inueniuntur, ita, vt ab argillacea maſſa, vſque ad durum igniarium aſcendant: ad ripas fluuii *Kolp* ſilices igniarii conſtituunt ſtratum ſuper argillam, quae fiſſuris in cubos diuiditur.
p. 17. In Sylua circa *Pokrof*, inuenta eſt *Hippophae*
p. 22. Notari meretur in fiſſuris lapidis calcarii, qui circa *Fedotiewa* et *Kaſimow* ſolum conſtituit, tripolum rubram lateritii coloris, reperiri, iuxta quam fruſta globuloſa, et alius figurae ſilicis igniarii et iaſpidis
p. 24. ſubrubri coloris, diſperſa ſunt. *Gryllum pedeſtrem* copioſe in coitu inuenit, vt itaque ſine dubio vera ſpecies habendus ſit. Lapis calcareus, ripas *Oki* fluminis conſtituens, firmus eſt, ſtratis craſſis compoſitus, et petrefactis repletus, ſub eodem argilla in cubica fruſta diſſiliens, in qua pyrites inſperſus
p. 36. eſt. In eiuſdem fluminis arena auri argentique colligunt grana et gemmas pauperiores, quae vero ex

ex ſepulcretis dirutis caſu huc venire Noſter putat.
Non procul abinde incolae ſcrophulis et ſtrumis p. 38.
laborant, qui morbi, cum aquae, quae bibuntur,
martiales et margoſas partes contineant, inde for-
ſan oriuntur. Copioſae hic ſunt ferri fodinae et
officinae. Iuxta Okkam catena montium extendi- p. 42.
tur, quorum lapis eſt margaceus, in quo paſſim Ala-
baſtrum, Gypſum ſtriatum, Amiantus, caro mon-
tana, atque Gypſum lamelloſum et cryſtalliſatum
reperitur. *Centaureae Sibiricae* folia, ſicca, contuſa p. 43.
vulneri recenti imponuntur, idemque ſanant. Fun-
gis plurimis, etiam nonnullis, quos noxios medici
credunt, *Boletis viſcido*, *bouino*, et aliis incolae hic
ſine noxa veſcuntur. Notabilis eſt Boletus fagi, p. 44.
qui cum matureſcit, colorem oſtendit vltramarino
ſimilem coeruleum, at euaneſcentem.

Deſcribitur modus *Arſamaſi* ſaponem parandi, p. 47.
coeruleo colore tingendi, aliaeque artes hac in vr-
be exercitae. Mons circa Arſamaſum eſt calcareo
lapide compoſitus, quem tegit argilla rubra. Pe-
trefacta hic non; in montibus vero vicinis verſus
orientem ſatis copioſe reperiuntur.

Prope a vico *Barnukowa*, iuxta fluuium *Piana* p. 55.
notabilis eſt mons, cuius nucleus gypſeus eſt,
ſuperficies vero calcareo tegitur, in qua petra
gypſea reperitur inſignis, duos et viginti pedes
Anglicos lata, perfrigida ſpecus, aquae vi haut
procul orta.

Regio circa *Wolgam* et vicinos fluuios eſt fer- p. 58.
tiliſſima. Enumerat plantas, quibus incolae *Sa-* p. 61.
ranskae lanam et alia tingant; inter eas, praeter
vulgares tinctorias, reperimus, *Adonidem vernam*,
Cardaum heterophyllum, et *Bidentem tripartitam*,
quibus flauo tingunt colore: *Origanum* vero *vul-*
gare ad dilute rubrum colorem adhibent: *Arundi-*

nis Calamagroſtis ſpicis nondum florentibus viri
tingunt. Circa *Inſara* minera ferri paludoſa fo
tur, bruna, ſaepe ſchiſtoſa, quae ferrum dat fragil
p. 80. Solum in regione, quae *Wolgam* et *Suram* inter
cet, eſt limoſum, argilloſum, et in vallibus hum
conſtat, in montibus autem, qui hic ſunt frequen
tes, eſt arenoſum.

p. 93. Poſt *Sedelkina* regio magis montoſa ſit. Sum
montis eſt lapis arenaceus fiſſilis, in quo minera
cupri hinc inde inuentae ſunt. Hi montes nectun
tur cum iis, qui ab *Vral* verſus meridiem et occa
p. 99. dentem extenduntur. Circa fluuium *Sot* prope
a vico *Semenowo* iuxta montem eſt fons, in quo tam
calida aqua Aſphaltum copioſe reperitur: totu fon
tis cauitas Aſphalto eſt obducta. Aſphalto adhae
ſubtile petroleum exſudat, ipſaque aqua particu
las inflammabiles ſuſcepit, tingitque rubro colore
ſolutionem coeruleam. Incolae et aqua, et Aſphal
to externe aduerſus vulnera vtuntur, et interne in
p. 104. colica, et morbis venereis vtuntur. Poſtea regio
circa *Sokkum* copioſis abundat ſulphureis lacubus
in quorum maiore aqua triginta gradibus calidior
eſt atmoſphaera, eiuſque fundus tunica ſuperin
ducitur, quae ex tenuiſſimis fibris compoſita eſt, et
vegetabilis naturae eſſe Cl. Auctori videatur. Di
quiſiuit Noſter et deſcribit vberius naturam huius
aquae ſulphureae. Alcalinis fixis lactea ſpuma ore
batur, et ſedimenti multum praecipitabatur. So
lutio ſtanni et plumbi colorem aquae turbabant,
multumque ferruginei ſedimenti praecipitabant.
Solutio vitrioli coerulea viridi colore tingebatur.
Acida et ſolutio mercurii aquam non mutabant.

p. 129. In regione circa *Simbirsk* copioſe *Muris* ſpecies
variae, vt *Cricetus*, eiuſque varietas nigra, *Mus
mota*, *Citillus*, *agrarius* et *minutus* poſteriores nu
vae ſpecies, habitant. *Caſtor moſchatus* quoque in
omnibus

cubibus iuxta *Wolgam* lacubus reperitur. Praeter *Tetraonis* ſpecies ibidem inuenit *Picum tridactylum*, *Falconem minutum*, *Parum indicum* ALDROVANDI et *Sturnum Cinclum*. Plurimis abundat fluuius *Wolga* piſcibus: inter eos eſt noua *Acipenſeris* ſpecies, *ſtellatus* dicta, *Cyprinus cultratus* etc. *Clupea Alоſa* incolae non veſcuntur, perperam opinantes, eo huius piſcis infaniam effici. *Muraena anguilla* caret fluuius. Non procul a *Simbrisk* iuxta riuum p. 140. *Birutſch* reliquiae ſceletorum Elephantinorum inuentae ſunt, vbi oſſa fere integra, neque mutata conſpiciebantur. E regione vrbis *Stawropol* in- p. 142. cipit iugum montium calcareorum, quod fluuium *Wolgam* ſequitur. Poſtea continuatio montium, qui ripas fluuii *Sok* attollunt, huc quoque extenditur, et *Wolgae* litus alterum eleuat. Deinde autem circa vicum *Podgory* iugum montium cum p. 146. montibus, illic ſitis, in quibus ſulphur copioſe fodiunt, a fluuio *Wolga* ſecedit et terram continentem verſus occidentem tendit.

In *Samarae* regione planta vernalis maxime p. 148. vulgaris eſt: *Anemone patens* ac, praeter alias plantas, *Fritillaria pyrenaica*, *Aſtragalus vralenſis*, et *tragacanthoides* verno tempore illic naſcuntur. Ad aues migratorias refert Cl. Auctor cum *Hirundinibus*, *Meropes*, quae vna cum illis ſerius verno tempore conſpicerentur. Regio circa *Samaram* eſt plana, ſaltem tamen in colles eleuatur: ſolum eſt limoſum arenoſumque; ſub humo primo marga, deinde gypſum ſequitur, in quo agates inſperſus iacet. In hortis illic praeter *Cucumem*, *Anguriam* et *Capſicum annuum* nihil colitur: pomonae vero arbores multae ſponte naſcuntur. Praeter multas plantas p. 154. ibi *Onoſma echioides* copioſe creſcit, cuius radice, ſuci inſtar, puellae vtuntur. Plantae tinctoriae hic naſcentes ſunt *Rubia peregrina*, et *Aſperula tinctoria*

ria, Sciurum Glirem illic habitantem, vt et alia animalia hieme dormientia Noſter ſaepe aeſtatis tempore in caueis ſopiuit. De *Lepore minuto* *) p. 155. addit, eum matutino tempore vocem, inſtar Corvinicis, edere et quatuor vel ſex pullos parere. *Sorex moſchatus* LINN. ex Noſtri obſeruationibus *Soricis* genus eſt referendus, veſcitur vermibus, rudinibus etc. viſcera ſulphur redolent, in glandulis ſub cauda reperiunda moſchum grantia antecellit. Praeter Colubrum *Natricem* nouum, quem *Melanidem* dicit, hic nit; eſt ſimilis *Bero*, telis venenatis inſtructus, pore atro, ſubtus polito, ad latera verſusque lam coeruleſcente nebuloſo; ſcutis abdominalibus 148, paribus ſquamarum abdominalium 17. Multa inſecta noua hic inuenit, quae in appendice debit. Etiam hic oſſa Elephantina reperit.

p. 165. Vlterior tractus Vulgauiae petris calcareis gitur, quae vel in margam ſolutae, vel cryſtallinitroſa cruſta ſuperductae ſunt: ſub lapide calcareo corneus griſeus ſitus eſt: praeterea in calcareo vbique Gagates reperitur, qui omnes fiſſuras occupat, atque etiam in magnis maſſis occurrit; quin etiam *Madreporas* petrefactas Cl. Auctor inuenit Gagate repletas.

p. 169. Notandum eſt in vrbe *Syſran Anſerem eundem orientalem* cum *Anſere domeſtico* coire, atque inde gigni hybrida animalia, quae quoque ſunt fertilia. Ipſa vrbs *Syſran* in monte arenoſo ſita, arenaeque ſtratum infimum maſſa aſphaltica penetratum. p. 172. Vicus *Koſtchpur* iuxta *Volgam* in colle cretaceo, et perquam nitroſo ſitus eſt, montes vicini ſunt argillacei, petrefactis repleti, ſub argilla ſeque

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 685.

ſequitur ſtratum lithanthracum. Prope ab vrbe p. 178.
Iſſolie in montibus, qui a Falconibus nomen ha-
bent, ſcaturigines ſalinae ſunt, quarum aqua natro-
ſum, ſulphureum odorem ſpargit. Mons ipſe cal-
careo lapide conſtat, verſus faſtigium montis pyri-
tas conſpicitur, atque aquae vitriolum ſapiunt.

Pone vicum *Podgory* e regione fluuii *Sok*, inci- p. 187.
pit iugum montium, in quo magna ſulphuris copia
foditur. In vno horum montium, qui ceteros al-
titudine ſuperat, altitudinemque perpendicularem
centum ſtadiorum aequat, ſulphur natiuum repertum
eſt. Lapis huius montis eſt calcareus, ſub argilla
margacea poſitus, in quo gypſum vel molle, vel
ſaxeus reperitur, quod ſulphure, vel cinereo, vel
virideſcente et impuro, vel cryſtallino penetratum
eſt; interdum etiam in *Gypſo, glacie mariae* ſulphur
hic inuentum eſt.

Ex Atamanta Ceruaria, in arbuſtis huius mon- p. 192.
tis naſcente, gummi aromaticum exſudabat, quod
ſapore grato praeditum eſſet; in eadem vero planta
illic aperto in campo creſcente non reperiebatur.
In alio vicino monte inuentum eſt *Linum campanu-*
latum et *Polygonum fruteſcens*, cuius varietas eſt
Atraphaxis orientalis, vtraque vero planta a Po- p. 194.
lygono ſeparanda eſt: Polygono fruteſcenti ſunt
flores hexandri et heptandri, ſemina ouato lanceo-
lata, acutiſſima, calycum foliola aucta tria maxi-
ma, roſea, ambitu vireſcenti pallida, duo minuta
reflexa, alba. In humidis depreſſisque locis *Rumi-* p. 194.
cem alpinum inuenit, eiusque radicem loco Rha-
ponici inſeruire, et *Lychnidem chalcedonicam* ſa-
ponis inſtar, ad lauandum, illic haberi monet.
Lata ripas *Samarae* eſt amoeniſſima et fertiliſſima
regio, in qua *Cerui Alces* et *Pygargus* habitant:
poſterior *Damam* magnitudine ſuperat, colore,
Capreolo ſimilis eſt, cauda nulla, cornubus trifur-
cis

p. 205. cis inſtruitur. Ad radices *Fragariae*, *Potentillae* *ptantis* et *Hyperici perforati* Coccus polonicus colligitur. Regio circa fluuium *Kinel* ei ſimilis

p. 209. quae *Sokkum* et *Samaram* cingit. *Salſola Kali* adeo ſalſum ſolum amat, ideoque ad praeparationem ſodae maxime eandem conuenire Noſter arbitratur, cum parum ſalis culinaris cineres eius contineant. *Antilopae* cicurantur, atque homines, qui eas nutriunt, amant et vbiuis ſequuntur: in vero ab *Oeſtro Antilopum* cruciantur, vt ſaepe humor ſum vlceribus obſeſſum carnem nauſeoſam reddat. Circa fluuium *Buſuluk* et riuum Soroka ſolum ſalſum, vt nullae niſi ſalinae plantae illic naſcantur, quas quidem Noſter enumerat, interque eas nouam *Salſolam ſedoidem*, et *Plantaginem ſalſam*, quam cum *maritima* LINN. forte eandem eſſe putat, priorem depictam et vtrasque deſcriptas in appendice tradit. Illic quoque *Pratincola* CRAMERI reperitur, quam optime nouum genus conſtituere potuit.

p. 219. *Buphthalmum ſalicifolium* circa Samaram crescens loco Theae adhibetur.

p. 225. Iugum montium, quod verſus fluuium *Iaik* extenditur ex collibus componitur, quorum ſuperior ſtratum limus eſt ſubruber, glarea et ſilicibus immixtus; interius eſt arenarius lapis, ex quo quidem plerosque montes, in regione huius fluuii poſitos, conſtitui Noſter obſeruauit. Ceterum hoc iugum cum metallifero iugo Vralenſi cohaeret. Scatebrae ſalſae etiam hic occurrunt. *Falcone Cherrug* vtuntur Kirgiſenſes ad venandos Lupos, Vulpes, et Antilopas.

p. 236. Salinas Ilezkenſes cingunt plures colles, quorum proximus lapide gypſeo fere componitur; planities eſt arenoſa, ſub qua ſal, varia in profunditate foditur: quod qua ratione fiat Cl. Auctor deſcribit.

dunkit. Sub ſale argillaceum ſtratum ſequitur. Salsuro remedium aduerſus varios morbos Kirgiſiae gens in balneo ex aqua ſalſa, in lacubus illic degente, ponit. Non procul ab his ſalinis alii ſunt lacus, qui in litore meridionali aquam dulcem habent, vt etiam piſces illic degant; cum tamen in ripa ſeptentrionali ſolum ſalſum ſit. Eodem in iugo circa Orenburg ſunt fodinae cupri: mineraе cupreae illic in fiſſili arenaceo vel in glandulis, vel in venis reperiuntur; huic vero ſchiſto, ſtrata margacei lapidis, et, quod manifeſtum inundatione factae cataſtrophes ſignum eſt, fruſta ligni petrefacti immixta ſunt: lignum hoc petrefactum viridi et coerulea cuprea ochra tectum et penetratum eſt, ipſum vero non in mineram mutatum, praeter corticem, qui totus in viridem cupri ochram tranſiit. Atque haec lignea petrefacta, alibi rariora in omnibus fere Vralenſis iugi fodinis reperiuntur. Idem arenaceus lapis montem conſtituit, a quo caſtellum *Kraſnogorskaia* nomen habet, in quo quarzum granulatim reperitur; ibidem etiam eodem in lapide mineraе cupreae reperiuntur. p. 246.

Iugum *Guberlinskenſe*, quod a riuo *Guberla* nomen habet, componitur ſaxo mixto, ſchiſtoſo, quod interdum magis argillaceum et talcoſum, interdum calcareum eſt. Alicubi ſerpentinus, et lapis fibroſus, asbeſto ſimilis reperitur. Coniicit Cl. Auctor hic copioſe mineras cupreas latere. Trans riuum *Guberla* iugum altius ſit, et talcoſus laeuis corneus ſchiſtus externam montium ſuperficiem tegit et cum arenaceo lapide montium iam dictorum ſtratis ſuis vnam directionem ſequitur: huic ſchiſto asbeſtus nonnunquam innatus conſpicitur. Poſtea quarzum ſaxo montium immiſcetur; in quibuſdam montibus argillaceus lapis animaduertitur. p. 256.

Verſus

p. 259. Verſus caſtellum *Orsk* iugum decreſcit, quod variis in locis conſtituitur Iaſpide, qui [illegible] te et colore differt: mons, in quo *Orsk* [illegible] totus Iaſpide conſtat, hicque in ſtrata ab occ[illegible] orientem verſus inclinata finditur. Poſt [illegible] *Or* aliud ex pluribus collibus conflatum [illegible] pideum reperitur: iaſpis eodem, quo prius [illegible] modo finditur, eſtque quarzeis venis pene[illegible] interdum ei cubi pyritici inſperſi ſunt. In [illegible] huius iugi ſunt ſcaturigines ſalſae. Pone hoc [illegible] prima indicia ferrearum minerarum inueniuntur.

p. 302. Incolae regionis circa fluuium *Iaik* lepra quadam ab aliquo inde tempore afficiuntur, quam a Perſis huc latam eſſe dicunt. In hominibus buſtis facillime oritur, ſenſimque radices agit, paulatim dit ſe, cum cutis liuida fiat, hinc inde maculae [illegible] les non dolentes, in articulis manuum [illegible] lati, in facie impetigo oritur: nonnunquam [illegible] morbi initium febrilia ſymptomata adſunt: [illegible] duo autem annos dolores vehementes articulorum appetitus proſtratus, defectus virium omnium [illegible] quuntur. Iam maculae in vlcera mutantur, [illegible] ſta foetida teguntur; quae, cum in benigniore morbo ſanitas ſequitur, pruritu accedente [illegible] In maligniore autem malo vlcera oſſa [illegible] omnesque partes, etiam nares, fauces, atque [illegible] ram arteriam occupant, quae mala mors ſequitur. In vehementiſſimo tamen morbo vola manuum, axillae, podex, poples, et capitis pars capillis [illegible] bera a lepra manent. Omnis in venerem [illegible] ctus in his leproſis perit. *Anabaſi aphylla* [illegible] ſanari quibuſdam dicitur.

p. 308. Ex vberiore relatione de natura et moribus gentis Calmukkorum quaedam ad nos pertinent. Fe[illegible] non ſemper informi, verum ſaepe formoſa [illegible] ſunt: interim obliquo oculorum angulo et obli[illegible]

quis

ſuperciliis, latitudine ſuperioris partis naſi rui et impreſſi multum a reliquis diſcrepant. oribus laudandis reliquas Nomadenſes gentes an- cellere Noſter expertus eſt. Lacte, et praeſer- equino, quod parum olei continet, neque ideo tyro conficiendo aptum eſt, veſcuntur, atque eo ſpirituoſum potum, inſtar ſpiritus vini pa- unt: edunt etiam radices *Phlomidis tuberoſae*, et *Lathyri tuberoſi*.

In omni circa *Iaik* fluuium ſita auſtrali planitie p. 364. dum ex arena et limo mixtum deprehenditur. e fluuio *Tſchagan* ſolum et plantae multum mu- tantur: atque hae potiſſimum cum iis conueniunt, quae in Europa et Aſia calidiori naſcuntur; vt ita- que cl. Auctor STRAHLENBERGII ſententiae faueat, qui putat, iugum montium, quod a mari glaciali ad extremos ramos Vralenſium alpium ex- tenditur, Europam a ſeptentrionali Aſia ſegregare.

Radice Rhapontici, et Rumicis alpini contra p. 381. varios morbos, praeſertim verno tempore aduerſus ſcorbutum vtuntur incolae: Noſterque putat, rha- ponticum Curcumae ſubſtitui poſſe. Relatio vbe- tior de Kirgiſenſibus. Oues eorum ſunt Indicis ſimiles; differunt tamen in eo, quod loco caudae, magnam maſſam pinguem, ſaepe triginta libras ſebi continentem, gerant et, vt Islandicae, cornubus ſae- pe quinque inſtruantur.

In regione caſtelli *Inderſchkichgor*, quod prope p. 402. ripas fluuii *Iaik* poſitum eſt, montes a caſtello Inderikenſes dicti plerumque ex Gypſo, Marga et Argilla conſtant, verſus fluuium Iaik autem griſeam et luteam cotem oſtendunt: ſunt colles cohaeren- tes, primo praecipites, altitudine deinde planiores adeundi petroſi, atque cum montibus in regio- ne Kalmuccorum ſitis connecti videntur. In ſum-

mis

mis montibus in lapide gypseo vbique dif[illegible] et montes maxima ex parte constituente, fossa[illegible] fissurae profundae sunt. Plantae salinum et [illegible] nosum solum amantes illic nascuntur, vt *Ephedra monostachya*, *Anabasis aphylla*, *Hesperis tatarica*, *Salsolae*. Ne vnus quidem dulcis aquae fons in hoc montium iugo reperitur. Pone hoc lacus magnus salsus positus est, qui altitudine fluuium [illegible] superat. Diameter eius plus, quam duo milliaria Germanica, et peripheria circiter duodecim aequat. Ex vicino montium iugo salsae scaturigines in hunc lacum fluunt. Adeo salsa est huius lacus aqua, vt, tempestate sicca fauente, crystalli in litore formentur. Litus huius lacus constituit tum lapis gypseus, tum argilla diuersi coloris; vno tantum in loco arenaceus schistus occurrit; versus australem partem terra margacea aluminosa reperitur, in qua passim naturales aluminis crystalli insperſae sunt, quae quoque sulphuris multum continet. Abo in loco litoris petrefacta in argilla deprehenduntur, quam interdum humus atra bituminosa tegebat.

p. 415. Describit symptomata leprosi cuiusdam, quae cum supra dictis plurimum conueniunt: neque autem nullis in articulis tumoribus laborabat, neque carebat appetitu, neque parentes, cum eo multum versati, hoc morbo infestabantur.

p. 426. Etiam in oppido *Gurief*, iuxta mare Caspium sito, sunt solum paludesque salinae; atque salsedo haec non tam ex mari, quam potius ex latentibus scaturiginibus proficisci videtur, quod Noster ex propinquo gypseo monte coniicit. Hanc coniecturam magis probabilem reddunt vicini lacus salsi, quorum vnus in fundo sal amarum continet. Adeo vero salsa est tota regio, vt ipse etiam ros salsus sit.

p. 441. Mons *Itschka* ad radicem solum limosum [illegible] habet, in cacumine montis autem est calcareus, marga

margaceus, et cretaceus, in quo ſpati ſcintillantis ſura diſperſa ſunt. Ceterum plantis viret cacumen, ac multae in eo reperiuntur ſcaturigines. Prae reliquis plantis notari meretur noua *Anabaſis cretacea*, quae habitu Erinaceo conuoluto ſimilis eſt, atque veram terram calcaream continet: quam Auctor florentem non vidit, ex fructus ſimilitudine generi ſubdidit, et hic vberius deſcriptam et depictam tradit. E regione poſitus mons Derkul quarzo et ſpato ſcintillante maxime componitur. Regio iuxta riuos *Kargala* eſt minerarum cuprearum arenacearum diues. Lapis montis eſt arenaceus fiſſilis, in quo copioſa petrefacta ligna ſunt; in montibus vero ad iugum Vral dictum pertinentibus talcoſus reperitur; atque priores, vt promontoria, conſiderat Cl. Auctor.

Ex deſcriptis nouis animalibus et plantis quaedam, praeter iam ſupra paſſim nominata et potiſſimum eas plantas indicabimus, quae depictae ſunt. *Aquilam, Falconi Haliaeto* LINN. ſimilem ad Iaikum obſeruauit, quam *leucorypham* dicit, artubus longioribus, cera liuido cinerea, corpore fuſco, remigibus interius albis, pedibus pallido albentibus. *Stryges* nouae ſunt *Accipitrina*, *Vralenſis*, et *pulchella*. Prior eſt magnitudine *St. Vlulae*, habitu anomalo; capite nempe reliquis minore, inaurito, pepla parua, corpore luteſcente, nigro vndulato, remige extima ſerrata, cauda alis breuiore, rotundata: habitat ad mare Caſpium. Altera *Aluconi* ſimilis, caudae longitudine ab ea diſtinguitur, remigibus tribus ſerrato ciliatis. Poſterior *Paſſerina* minor, capite aurito, corpore cinereo, ſubtus albo, vbique fuſco vndulato, remige extima ſerrata. *Rana ridibunda*, quae voce humanum riſum aemulatur, maxima, latidudine manus, pondere ſemi-

p. 454.

p. 455.

p. 458.

libri, forma *Ranae temporariae* reperta verſus mare Caſpium. *Acipenſer ſtellatus*, *Rutheno* gracilior, corpore pentaedro, capite aſperrimo, tuberculis ſtellatis, cauda hexaedra. Ex inſectis multis, quae numero ſunt ſexaginta duo, commemoremus tantum
p. 472. *Sphegem lacerticidam*, quae Veſpae magnitudine tam audax eſt, vt Lacertas occidat, iisque veſcitur; et *Phalangium araneoides*, quod *Tarantulae*
p. 476. longitudine ſuperat, omniumque eſt venenatiſſimum inſectum.

p. 478. Plantae deſcriptae ſunt *Salicornia herbacea*, *Salicornia Caſpica*, a BVXBAVMIO ſolo (centur. plant. I. p. 6. t. 10. fig. 1.) indicata, ſpicis pedunculatis, floſculis imbricatis, in ſingula ſpica trigo-
p. 481. nis pluribus, ſtigmate vmbilicato. *Salicornia frutilacea* ſuffruticoſa, ſpicis alternatim oppoſitis, ſubſilibus floſculis in ſingula ſpica viginti, diandris, ſtylo bifurco, ſtigmatibus reflexis. Vtraque ſpecies circa mare Caſpium et Caſtellum Georgii crescit. *Salicornia arabica*, facie *Tamaricis*, caulibus erectis ligneis, ramis alternatim ſparſis, ſpicis terminalibus 3-4, alternis; floſculis paucis alternis. *Salicornia foliata*, foliis carnoſis, quam Cl. Auctor varietatem *Arabicae* habendam coniicit. In omnibus his ſpeciebus vidit flores eſſe tribus tuberculis praeditos, quorum medium piſtillum, lateralia vero *duas antheras* ſuſtinerent, vt itaque *Salicornia* ad Diandriam pertineret; etſi ſaepe alterum ſtamen, praeſertim
p. 483. in *herbacea*, ſterile, imo eliſum ſit. *Polycnemum monandrum*, caulibus plurimis ſtrictis, foliis linearibus exſuccis, tomentoſis, floribus alternis, et *Polycnemum triandrum*, caulibus baſi ligneſcentibus, ſubflexuoſis, geniculatis, foliis elongatis, ſuccolentis. Vtraque ſpecies corolla perſiſtente, triglumi,
p. 484. valuulis inaequalibus inſtruitur. *Polycnemum oppoſitifolium*, corolla biglumi, ſtaminibus quinis, anthe-

antheris ſagittato linearibus praeditum. Monet ſimul Cl. Auctor *Polycnemum* cum *Coriſpermo* ſummopere affinia genera videri. *Rindera tetraſpis*, quam LINNAEVS *Cynogloſſum laeuigatum* *) dixit; quae tamen omni iure nouum genus conſtituit. *Salſola arbuſcula*, truncis adſcendentibus, ramis patentibus, cortice ſtrigoſo, ſquamis ramorum gemmaſcentibus vel in folia faſciculata, carnoſa, teretia vel in flores ſolitarios binos ſeſſiles. *Salſola proſtrata* LINN. et *Salſola hyſſopifolia*, quam Kali foliis Linariae BVXBAVM (cent. I. t. 16. p. 10.) eſſe certus eſt Auctor, et *Salſola ſedoides* etiam depinguntur: poſtremam forte *Salſolam hirſutam* eſſe et in Flor. Lib. III. Parte p. 118. t. 23. fig. 1. *Camphoratam* minus recte dici, monet Noſter. Praeterea *Salſolae vermiculatae* et *fruteſcentis*, et *Kali* deſcriptiones emendat. *Anabaſis cretacea*, *Glycyrrhiza aſpera*, *Heſperis tatarica*, *Agaricus bulboſus*, et *Mucor decumanus*, quoque depicta ſunt. p. 486.

XXI.

SAMVEL GEORG GMELINS *Reiſe durch Rußland zur Unterſuchung der drey Naturreiche. Erſter Theil. St. Petersburg.* 1771. 182 *Seit.* in groß 4. 40 *Kupfert.* 2ter *Th. ib.* 1774. 128 *Seit.* 38 *Kupfert. Dritter Theil. ib.* 1774. 508 *Seit.* 51 *Kupfert.*

i. e.

Iter per Ruſſiam ad diſquirenda tria naturae regna ſuſceptum a SAMVELE GEORGIO GMELIN. Pars I. II. III.

V 2 Cl.

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 625.

Cl. Auctor, iam fatis ereptus *) in hoc diario itineris sui describit iter factum per Russiam atque Persiam, quae ad mare Caspium adiacet, in quidem, vt prima parte iter a Petropoli per Vkraniam ad vrbem Tscherkask institutum continetur; altera parte regio Tscherkaskensis atque iter vsque in vrbem Astrachan describatur, vbi praesertim incolae, eorumque politia et oeconomia enumerantur; tertia denique parte iter ab Astrachan per mare Caspium, atque loca Persarum, in continente terra sita, Derbentum, Baku, Raescht, et Astrabad exponitur. In huius itineris descriptione Cl. Auctor omnia, ad quae peregrinatoris est attendere, describit, nouarum tamen plantarum, nullo vsu in oeconomia insignitarum descriptionem reseruauit ad edendam floram Persicam, quam nunc a Cl. PALLAS editum iri legimus. Bene et vberius exponit de iis, quae ad generaliorem regionum cognitionem pertinent, sollicitus etiam fuit in singulis animalibus et plantis describendis, vt omnino omnes laudes studium et opera b. GMELINI mereantur. Mineralogi et qui geographiae mineralogicae student, optabunt, vt magis et curatius, praesertim in parte tertia huius libri, montium et lapidum, qui eos constituunt, diuersitas indicata sit. Sed ad ea nos conuertamus, quae specialim ex singula parte decerpere placet.

Tom. I. p. 1. Lapides calcarei in Russia copiosi praesertim incipiunt circa *Tosninskoy Iam*, atque vtramque ripam fluuii *Tschudowa* constituunt, in stratis positi; et in fundo huius fluuii minera ferri lacustris p. 2. dispersa est. Salinas circa *Stataruſſa* describit; duo illic sunt salsi lacus, cincti a lapide calcareo, et

*) v. comm. nostr. Vol. XX. p. 555.

et origo ſalinae aquae in monte vicino reperitur.
Iam montes Waldaicos et, quae illic obſeruauit, de- p. 4.
ſcribit. Illi ad ſtratoſos montes pertinent, cohae-
rere dicuntur cum iugo Rewenizkenſi, eorumque
quoad longitudinem finis eſt circa vicum *Kreſtez-*
koy, et quoad latitudinem non procul poſt fluuium
Miſta, verſus fluuium *Pola* in planitiem abeunt.
In vtroque fine horum montium et iuxta fluuium
Kremetſcha, et riuum *Krubiza*, in fluuium *Miſta* ma-
nantem, ſunt ſtrata lithanthracum, argillaceo lapide
cincta et ſuperius ſubcoerulea terra tecta, quam
pro ſolutis aëre lithanthracibus Noſter habet.
Circa fluuium Pola iterum fontes ſalſi apparent.
Superficies montium Waldaicorum humo tecta eſt,
quam ſequitur ſtratum lapidum calcareorum, in
quo quarzum, gypſum et aluminoſa terra ſaepe
immixta eſt, huic ſubiacet argilla, tum argilla cal-
careae terrae immixta imponitur ſchiſto, atque
hic minerarum, quae plerumque ferreae et cupreae
ſunt, in ſtratis diſpoſitarum, tegmen quaſi efficit.
Plantae hic natae iam cognitae indicantur; nouae
ſunt *Hieracium dichotomum*, caule dichotomo, foliis p. 9.
lanceolatis, floribus ſolitariis, in ramis terminali-
bus, quod *H. murorum* propinquum eſt: *Hiera-*
cium flexuoſum, foliis radicalibus oblongis acumi-
natis, caulinis ſquamarum forma; *H. ſquamoſum*,
foliis radicalibus pinnatis, caulinis ſquamiformi-
bus: *Campanula racemoſa*, caule lanato, foliis lan-
ceolatis, floribus racemoſis.

Circa *Volgam* obſeruauit *Anatem ſubulatam*, p. 12.
roſtro nigro, capite fuſco, dorſo nigricante, remi-
gibus dilute brunis, ſpeculo cupreo, pectore ab-
domineque albis; multa petrefacta in calcareo la-
pide. In montibus circa *Iuriewskowa* et *Kudriaw-* p. 14
zowa eadem ſtrata lithanthracum, quae ſupra di-

 ximus,

ximus, inuenta, praeter quod molliora essent et
p. 19. pyrite commixta. Prope ab vrbe *Tula* ferri ochra, et minera nigra densior statim sub humo fodiuntur, et vel in stratis, vel in massis reperiuntur. Eiusmodi minerae pluribus circa fluuium *Donum* locis fodiuntur. Noster modum, quo in iisdem tractari soleant hae minerae, commemorat, et errores commissos consiliis emendare studet.

p. 20. *Dedilowum* tamquam limitem indicat, in quo Flora mutari incipit, cum ab hoc loco plures orien-
p. 22. tales plantae nascantur. Vicus Nikizkoi notabilis est propter insignem copiam Turfae, quae in locis bus et sub omni humo reperitur, atque adeo inflammabilis est, vt casu accensa turfa flagrare continuet. *Muris iaculi, citelli* *), *criceti, marmotae, Sciuri vulgaris, Falconis fului, palumbarii*, Nisi eiusque varietatis, *Strigis nyctteae, Tetraonum, Cyprinorum, Alaudarum* et aliorum animalium praesertim auium historiam descriptionibus et iconibus
p. 29. illustrat, de quibus haec notemus. *Castor moschatus* LINN. Nostro medius videtur inter *Murem* et *Castorem:* in maxilla superiore duos primores quidem, at in inferiore quatuor habet. Zibethum continet in glandulis conglobatis octodecim, in tribus seriebus intra cutem et tendines musculi re-
p. 35. ctoris caudae positis. De *Sciuro* commemorat mutationem in colore pilorum eiusdem, sub initium hyemis obuenientem. In arena iuxta *Donum* ossa Elephantina, parum mutata, non petrefacta, inuenta
p. 39. sunt. De caussa disputans, cur quorundam animalium pili et pennae hiemis tempore albescant, hanc in defectu sufficientis alimenti, indeque impedita transpiratione, et humiditate hinc nata positam esse putat: illam enim in iis tantum animalibus

*) v. comm. nostr. Vol. XX. p. 4.

libus obſeruari, quibus alimenta hieme deſint, ſuppreſſa tranſpiratione pilos et pennas crebriores naſci, et propter humiditatem alba fieri. *Tetrao Lagopus* pedibus in terra foueam efficit, in quam oua ponat; et pullos, ſimulac ouum egreſſi ſunt, molare poſſe notari meretur. *Equum ferum* hic depictum et vberius de eius origine, quae nobis a cicuribus et ſenſim in feros mutatis deriuanda videtur, diſputat, et partes eius differentes indicat. *Corvum*, tectricibus remigum rectricibusque duabus vtrinque extimis rufis, nouum, a *glandario* diuerſum exiſtimat. Ex piſcibus *Cyprinum Lauaretum* et *Silurum Glanidem* LINN. vberius et anatomice quoque deſcribit. p. 40. p. 50. p. 60. p. 62.

Indicat, quo ordine ſucceſſiue aues migratoriae *Woroneſchi* apparuerint, et paſſim deſcriptiones et obſeruationes ornithologorum confirmat vel corrigit: inter aues nouae ſunt *Anas lurida*, tota obſcure rufa, dorſo nigreſcente, *Anas cogolca*, et *erythrocephala* *). *Larus* tab. XIV. depictus, nobis *parafiticus* LINN. videtur, praeterea deſcribuntur *Larus Atricilla*, et *canus* ac *Haematopis oſtralegus* varietas. Noſter etiam ſeparandam eſſe putat *Hirundinem Pratincolam* LINN. ab *Hirundine*, eamque ad *Tringam* refert. p. 67. p. 70.

Iterum diſquiſiuit oſſa elephantina circa *Kaſinsk* ſub terra poſita, eaque parum a Dono remoto in loco non inuenit, ſed tantum proxime iuxta ripas eiuſdem. Iam plantarum huius regionis vernalium tradit enumerationem. Radice *Adoxidis vernalis* et *apenninae* loco *Hellebori nigri* in pharmacopoliis vtuntur, atque loco *Althaeae officinalis*, p. 78. p. 81.

*) Deſcriptae in nou. comm. Petrop. Tom. XVI. p. 426. ſeq. vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 11.

p. 82: *nalis, Lauateram thuringiacam* adhibent. Symptomata recenſet luis bouinae, illic graſſantis, et diſſectione cadauerum animaduertit pulmones eſſe inflammatos, et pure repletos, vt morbus ſit per-
p. 86. pneumonia epidemica nominandus. Pone Tu[illegible] per totam *Vcraniam* terra maxime eſt nitro ſoeta, quod etiam illic colligitur, ſed modo, qui de in-
p. 93. peritia incolarum ſatis luculenter teſtatur. Coſaci contra morbum venereum vtuntur mercurio ſublimato, atque tertiam partem loti ruſſici ſpiritu vini ſolutam quotidie mane aſſumunt, et plerumque ſanantur. Etiam a priſco inde iam tempore in Vcrania inoculatio variolarum adhibita fuit.

p. 112. Circa *Libizka* fons martialis ſcaturit et minerae ferri paludoſae fodiuntur et parantur. Ex planta
p. 116. regionis *Kaſtinskenſis* nouas hic depictas notemus. *Aſtragalum varium*, foliorum pinnatorum foliolis ouatis lanceolatis, floribus racemoſis, calyce lanato: *Aſtragalum hybridum*, foliolis obtuſis, ſubemarginatis, ſubtus tomentoſis, floribus capitatis, quem ex *alopecuroide* et *piloſo* forte natum eſſe exiſtimat. *Echium italicum* LINN. Hic etiam montes cretacei incipiunt, in quibus copioſe ſilices ignitae reperiuntur, extenduntur verſus occidentem.

p. 126. In regione Tſcherkaskenſi praeter cognitas plantas inuenit *Centauream, dubiam*, propter affinitatem cum *Calendula* dictam et *Aſtragalum glaucidem*, vtrasque plantas hic depingit. Morbus in hac regione incolas ſaepe afficit, a verme ortus, quem Noſter *Hirudinem* dicit, nobis vero omnino ad Gordios pertinere, morbusque cum cognita
p. 131. vena medinenſi conuenire videtur. *Sphalax* a Cl. GVLDENSTAEDT in commentariis Academiae Petro-

Petropolitanae *) deſcriptus etiam hic icone et deſcriptione illuſtratur: Ruſſis *Slepez* dicitur.

Montes cretacei circa *Pawlowsk* finiuntur, atque ſolum ab hoc loco vſque ad *Tſcherkaska* inultum eſt, argillaceum, planum. Circa *Kaſanka* invenit Cl. Auctor nouas plantas, vt *Centauream mixtantham*, an *paniculata* LINN. et *amplexicaulem*, *Achilleam corymbiferam* (*millefolio* multum ſimilem). *Teucrium arenarium*, *chamaedry* habitu ſimile. *Potentillam bifurcam* foliis ouatis emarginatis. *Scabioſam heterophyllam*, foliis radicalibus petiolatis bipinnatis, caulinis ſeſſilibus pinnatis, et ſimplicibus, corolla quinquefida, *Campanulam faſtigiatam*, et *racemoſam*. *Salſolam lanifloram*, plures notas, e quibus *Centauream*, *phrygiam* et *Achilleam tomentoſam*, *Teucrium Chamaepithym*, *Potentillam ſupinam* et alias pictas tradit. Sequuntur deſcriptiones aquatilium animalium in Dono habitantium; vt *Acipenſeris Sturionis* et *Stellati* Cl. PALLAS **), circa quos notat numerum ſquamarum in vna et eademque ſpecie variantem eſſe. Spongia fluuiatilis neque Cl. Auctori animalis videtur, incolis inſeruit loco remedii coſmetici et anthelminthici. Mures duos nouos, alium *terreſtri* LINN. ſimilem, alium, qui *Talpino* PALL. ***) ſimilis eſt, deſcribit iconesque eorum tradit. Ex auibus, hic degentibus, depictae ſunt *Larus ridibundus*, mas et femina, *Charadrius himantopus*. *Phellandrii aquatici* eſu oues illic necari monet Cl. Auctor. p. 134. p. 149. p. 139. p. 150. p. 162.

In altera parte pauca ſunt, quae ſpeciatim commemoremus. Generatim regio circa Aſtrachan fertilis eſt, omni T. II. p. 60.

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 5.
**) in itin. append. p. 460. vid. ſupra p. 302.
***) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 10.

omni genere frumenti abundans. Res pecuaria
p. 150. quoque illic multum colitur. Oues Calmuccorum, quae, vt cognitum eſt, laticaudae ſunt, degenerant ſimul, ac pabulo ex arenoſis et ſalinis regionibus carent. *Strix accipitrina* Cl. PALLAS et hic depicta traditur, ſic quoque *Anates caſarca*, et *torquata*, nouae ſpecies, aliaeque cognitae huius generis, *Ardeae*, interque eas ex familia *Ciconiarum* vna, quae 6 pedum altitudinem ſuperat. Multa, quae ad
p. 249. oeconomiam pertinent, omittimus. Deſcribit etiam Cl. Auctor lacus ſalinos, circa Aſtrachan poſitos.

T. III. In auſtrali parte maris Caſpii plures ſunt col-
p. 5. les arenoſi, qui vento mota arena et alicubi illiſa,
p. 10. illicque aggregata oriuntur. Caſtellum *Derbentum*, de quo proſpectus depictus eſt, intra rupes, ſaxo firmiſſimo (vtinam Auctor adiunxiſſet cuiusnam ſit generis!), petrefactis repleto, compoſitas, ſita eſt.
p. 23. Loco Piſi colitur hic planta, quam Noſter *Nochotam oleraceam* dicit depictamque tradit: pertinet ea ad *Diadelphiam*. Calyx eſt monophyllus, quinquefidus, piloſus, baſi ventricoſus: corollae vexillum apice ſerratum, lateribus reflexis, medio carinatum; alae breues, lanceolatae, inferius bifidae, ſuperius reflexae: carina breuiſſima, extus gibba, intus lateribus alatis. Stamina 10: Germen ouale. Legumen oblongum, ſubuentricoſum. Semen cordatum. Foliorum pinnatorum foliola ouata, tri- et quinqueparia, flores ſtipulacei, ſolitarii. *Nigellae ſatiuae* ſeminibus inſtar ſeminis papauerini Perſae vtuntur.
p. 26. In montibus vicinis etiam noui generis arbor naſcitur, Perſis *Kalaſa* dicta, quae ſalici habitu ſimilis eſt: flores calyce nullo, corolla monopetala, infundibuliformi, quadrifida inſtruuntur. Stamina

mina quatuor; germen oblongum, ſtylus corollae longitudine, ſtigma ſimplex. Fructus eſt Drupa lanuginoſa, ouata, octangula, nucem oblongam continens. Perſae inde aquam neruinam et cardiacam parant. Plures ferae et multa inſecta illic habitant. In ſylua poſt Derbentum copioſe naſcitur *Smilax China*, in montibus poſt Cubam, et in ripis Gilanenſibus et Maſanderanis *Conuoluulus perſicus* naſcitur, quas plantas depictas et deſcriptas ſiſtit Cl. Auctor. Saxum notabilis et admodum alti montis Biſchbarmak, hic depicti, Granites videtur, cui Gypſum et Cryſtalli (forte quarzeae) immixta ſunt. Scaturigines Naphthae prope a caſtello *Baku* celebres, et a KAEMPFERO iam deſcriptas, ex lapide margaceo propullulare, atque primam earum originem ex Caucaſi montibus deriuandam eſſe coniicit, ipſam vero adire non potuit. Ad ipſum fontem, admoto corpore flagrante, terra flammam concipit et ignis continuo flagrat, flamma ſubcoerulea flaua: nec alio modo, niſi ſuperfuſa terra vel aqua extingui poteſt. Naphtha haec, plurimis e locis ſcaturiens, duplicis generis eſt, alia impura, nigra, quae *petroleum* dicenda eſt, particulis terreſtribus multis immixta, alia purior, alba dicta, eſt pellucida, flaua, celerius flammam capit et ex vno tantum fonte prouenit. Hac naphtha, vt remedio aduerſus morbos articulorum, venereos et ſpaſmodicos incolae vtuntur. Lapis montes circa *Baku* conſtituens a Noſtro dicitur calcareus, tum in montibus, tum in lacubus ſal commune reperitur.

p. 32.

p. 41.

Inter *Baku* et *Schamachie* montes plures poſiti forſan omnes cum iis conueniunt, quos argillaceo lapide compoſitos dicit Auctor, in quo *Tripela* rubro flaueſcens, immixto *Selenite* micans generatur. Argillaceum fiſſilem eſſe, et rubris, albisque maculis

p. 58.

p. 59. culis variare monet. In riuo *Puſahat* ingens nouae *Teſtudinis*, quam *caſpiam* dicit, copia reperiebatur, eſtque ea hic picta et deſcripta. Teſta partim nigra, partim viridis eſt; margine ex 25 ſcutis, diſco ex 5 ſcutis compoſita. Pedes ſunt ſemipinnati, palmae tetra- et plantae pentadactylae. Tantam haec *Teſtudo* magnitudinem acquirit, vt quoſdam homines in teſta ſuſtineat; ceterum vulgari multum ſimilis eſt.

p. 77. In Inſula *Salliam* ſunt copioſi fontes calidi, ſalſam et amaram aquam praebentes: hos cum Petroleo in Caucaſi montibus per ductus ſubterraneos communicare, atque hanc aquam, vti et maris Caſpii amaritiem huic petroleo debere, indeque cubicam et rhomboidalem ſalinarum cryſtallorum figuram pendere putat Cl. Auctor. His lacubus incolae
p. 78. ſaepe balnei loco vtuntur. Ex ſeminibus *Antirrhini maioris* egregium oleum exprimitur, quod oleo oli-
p. 79. varum nihil cedit. *Fulicam Porphyrionem* LINN., quam hic depingit, ab hoc genere ſeparandam eſtimat Noſter, propter pedes ſimplices, victumque diuerſum. Femina in arundine nidificat, 4 ova
p. 80. Martio ponit, difficile cicuratur. Deſcribit *Lupum - Chacal.* BUFF. *), eiusque dat iconem, et mediocrem.

p. 86. Solum ad littora portus *Enzelli* eſt arenoſum: praeter communes plantas, illic repertae ſunt *Crataegus nobilis*, *Mirabilis Nyctage*, *et Cynanchum acutum*. Praeter Europaeas migratorias aues et plurimos vulgares paſſeres, hic obſeruauit Noſter *Charadrium ſcolopacem*, corpore ſuperius cinereo rubicante, genis albis, faſcia ſub oculis nigra, abdomine niueo, remigibus 30 nigris, cauda rotundata, rectricibus extimis albis, apice nigris, reliquis cinereis:

*) v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 588.

cinereis: *Scolopacem obſcuram* roſtro purpureo, capite cinereo, collo elongato, ſubtus dorſo et vropygio nigris, abdomine cinereo, remigibus 18, cinereis, rectricibus caſtaneis, cauda breui, apice caſtaneo: *Tetraonem caudacutum*, qui *Alchatae* LINN. perquam eſt ſimilis, nobisque eiuſdem varietas, colore quarundam partium parum differens videtur: *Motacillam littoream*, capite, collo ſuperius, dorſo et vropygio obſcure viridibus, orbita luteo alba, corpore ſubtus ſubluteo albo, remigibus 18, ſubnigris, rectricibus ſubnigris, extimis albis: *Motacillam longiroſtrem*, tota ſuperius cinerea, ſubtus nigra, remigibus ad mediam partem purpureis, rectricibus apice albis: *Motacillam Ochruram*, cauda lutea, *Phoenicuro* LINN. ſimilem. *Parum lutum* corpore ſuperius oliuaceo, remigibus primoribus interiore latere albis, tectricibus cinereis, hunc ſolum ex paſſeribus eſſe migratorium monet. *Parum Caſpicum*, ſubtus toto et vropygio flauo, alis nigris, cauda corpore plus duplo longiore: *Parum variegatum*, capite ſubrubro vropygio ſubalbo bruno, quia nigra, pennarum apice flauo, ventre albo, pedibus plumatis. Hae aues ſollicite omnes deſcriptae et depictae traduntur. Ibidem etiam habitat *Hyſtrix criſtata*, cuius hic iconem inuenies multum a reliquorum Auctorum et ab ipſo animale, quod vidimus, diuerſam, vt coniectura ſuboriatur, nouam eſſe hanc ſpeciem, capite obtuſo, et breuioribus aculeis ſingularem. *Citrum*, quam *ſpinoſam* dicit Cl. Auctor, et a *Limonio* vere ſpecie differre putat, eiusque fructum, nomine Citronati notum, illic ſponte natum hic icone et deſcriptione illuſtrat.

p. 90.
p. 93.
p. 99.
p. 100.
p. 104.
p. 107.

Ex vberiore et lectu digniſſima de moribus, animo, temperamento, et corporis natura Perſarum

p. 140

rum, quaedam delibare licet. Sunt humani, e promiſſis faciles, raro autem iiſdem ſtant, et ſi qua non, niſi ambitione et ſuis commodis adacti re ipſa praeſtant; praeterea ſuperbia, auaritia, inconſtantia, voluptas, iracundia, atrocitas aliaque vitia eorum animos gubernant. Temperamento cholerico et ſanguineo, corpore robuſto; facie oblonga praediti, morbis raro, ſi quando, acutis, febribus, vertigine, oculorum et aurium morbis, haemorrhoidibus, et ictero fere endemio, afficiuntur. Litterarum ſtudia apud eos plane ſunt neglecta.

p. 231. De mari Caſpio: Diuerſae illud eſt altitudinis et verſus littora fere planum, et vndique montibus praealtis cinctum, piſcibus varii generis, praeſertim verſus ora fluuiorum abundans, vt *Acipenſeri*, *Salmonis* et *Cyprini* plurimis ſpeciebus. *Acipenſeris Rutheni* LINN. tres ſpecies (forte varietates) eſſe monet, quarum prima *Sterlett*, ſecunda *Koſtr*, tertia *Koſtera* Ruſſis dicitur, quas vberius, vt et *Cyprinum Idum*, *Barbum* et *Aſpium*, et *Percam Ploticam* deſcribit, et tres poſteriores mediocriter depictos tradit. Praeter *Phocam vitulinam* et quaedam animalium teſtaceorum ſpecies, nulla mammalia marina aut vermes marinos illic animaduerti. Aues vero pelagicas et aquatiles plures illic habitant, plures *Anatum* ſpecies, atque nouam *Anatem*

p. 249. *Kekuſchkam* hic depictam, dorſo cinereo, pectore abdomine et criſſo niueis, vropygio et cauda ſubtus atris, tectricibus alarum igneo colore: Plures *Ardeas*, e quibus *Ardeam ſantodactylam* deſcribit, pluresque e Grallarum ordine cognitae hic habitant, nouae in hiſtoria auium Perſicarum deſcribenda promittun-

p. 257. tur. Aqua huius maris non ſemper, neque vbique, ſalſa eſt, falſedoque eiuſdem Cl. Auctori videtur a montibus, ſalem continentibus, deriuanda eſſe: ſaepe littus occidentale aquam dulcem obtulit, praeſertim

ſertim Borea flante: amaritiem aquae huius maris a ſcaturiginibus petrolei pendere ſupra iam indicauimus; nunc addit Cl. Auctor experimenta, quae probent, in aqua maris Caſpii contentum eſſe quoque ſal, ſali mirabili Glauberiano perquam ſimile, quod a naphtha etiam ortum eſſe ex eo patet, quoniam, cum naphtha ſali communi adderetur, ſal Glauberianum oriebatur. Vix opus eſt referre plures plantas ſalinas hic naſci. Confirmat quoque Cl. Auctor increſcere et decreſcere hoc mare.

Nonnullas varietates *Citri* Noſter deſcribit, no- p. 278.
tatque fructu iuniore *Solani Melongenae* Perſas veſci.
In locis arenoſis Gilani, tertio Martii florentem p. 283.
inuenit nouam *Salicem*, quam *nitidam*, foliis piloſis integris, nitentibus, floribus diandris, dicit, iconeque illuſtrat. Aquam deſtillatam ex floribus contra febrem Perſae parant. Balnearia Perſarum ac *Muſtelam Lutram* deſcribit. Remedia Perſae ex Granato, vt refrigeranti, *Rhoe Coriaria*, aduerſus ſcorbuticos morbos et alui fluxus, et Manna, ſic quoque *Lacerta Scinco*, vt aphrodiſiaco, ſumunt. Terras etiam, Tripelas, vt ſalutares in multis morbis exhibent.

Circa vrbem *Raeſcht* paludoſa eſt regio, in qua p. 291.
oryza laete creſcit. In his paludibus inuenitur, praegreſſa pluuia, vermis, quem, cum quilibet articulus diſſectus vitam retineat, *Taeniam dubiam* p. 302.
nominat. Corpus eius eſt mucoſum, pellucidum, liberum, non geniculatum; intus ſubrotundis, ſimplicibus corpuſculis repletum. Ex plantis hic detectis deſcriptione et icone hic indicat *Siſymbrium ſimpliciſſimum*, foliis ouatis, integerrimis, caule infra hiſpido, ſupra glabro, floribus albis; magnam cum *Eruca* BOCC. Muſ. 2. p. 84. t. 80. ſimilitudinem habet. *Scandicem Gilanicam*, foliis tripinnatis, pinnulis oblongis, inuolucro partiali quadriphyllo,

floribus

floribus radii ſterilibus: *Syringam capitatam* foliis conglomeratis, inferioribus pinnatis, ſuperioribus
p. 304. vel ternatis vel ſimplicibus: *Silenem oppoſitifoliam* foliis lineari lanceolatis, calyce venoſo reticulato, ſtigmatibus ſimplicibus capitatis, fructibus erectis: *Viciam clymenum*, mediam inter *Lathyrum clymenum* et *Vicium ſatiuum*; floribus tamen pedunculatis, pedunculis vni- et trifloris ab hac differt: *Viciam exſtipulatam*, foliis ſeſſilibus, oppoſitis ſubcordatis, cirrhis intra folia poſitis, floribus alter-
p. 310. bus, pedunculatis, ſolitariis: *Salicem excelſam* et *Babylonicam*: *Loeflingiam Caſpicam*, caulibus procumbentibus, ramis alternis, foliis ouato oblongis, ſubuerticillatis floribus congeſtis, ſtigmate capitato. *Sedum ſtoloniferum*, caulibus repentibus, articulatis, nudis; cyma ſeſſili terminali folioſa, foliis ſubcuneatis, cauis; foliis calycis longitudine petalorum. De morbis et medicina Perſarum refert, quae vero ridicula neque vtilia dogmata continet.
p. 349. *Anagalli aruenſi* Perſae vtuntur aduerſus principia cataractae; eiusque ſucco goſſypium humectant et extus oculo imponunt.

p. 359. Alpes Gilanenſes, quae ſunt continuatio Caucaſi, Cl. Auctor adſcendit, notatque mutationes atmoſphaerae, ex varia altitudine ortae, breuiſſimeque addit, lapides earum eſſe ſaxa, vel ſimplicia, vel quarzo et mica mixta, copioſe quoque eſſe corneum in ſtratis poſitum non fiſſilem; Petrefacta in iis non animadvertit neque metalliferas venas inquirere potuit. Sine dubio ex imperfecta hac obſeruatione id tamen colligere licet, Granitem infimum lapidem et hic eſſe, atque eundem tegi a corneo: lapidis calcarei nulla facta eſt mentio. Ex plantis copioſe hic
p. 363. repertis commemoratae et depictae ſunt *Symphytum regium*, foliis lanceolatis; lanuginoſis, confertis, ſeſſilibus, floribus terminalibus, cernuis, pur-

pureis,

pureis. Variat ſtaminibus ſex cum faucis dentibus ſex alternis. *Symphytum ſecundum*, foliis oblongo lanceolatis, racemis terminalibus floribus pedunculatis ſecundis, ſtaminibus corolla longioribus. *Mimoſa arborea* et *Nymphaea Nelumbo* LINN. Quasdam *Melonum* varietates deſcribit. Ex p. 388.
anibus *Vulturem percnopterum*, et *barbatum* LINN. p. 304.
Corunmque, quem *docilem* nominat, nigrum, roſtro coccineo, tum quoque *Coraciam*, *docilem* dictam, p. 378.
cum linguam humanam aemuletur, roſtro pedibusque flauis, capite collo et pectore carneis, abdomine ſubcinereo, remigibus primoribus dimidio albis, dimidio nigris, rectricibus nigris, apice albis indicat. Deſcribit poſtea modum, quo laruae *Phalenae mori* illic nutriantur et educentur, Mori p. 374.
riae ſpecies colantur atque ſericum inde paretur:
opum culturam quoque, Perſis vſitatam enarrat, et p. 394.
Cucurbitae ſpeciem, de qua dubitat, an *verrucoſa* LINN. ſit, nobis tamen cum eadem conuenire videtur, icone et deſcriptione illuſtrat. De reliquo p. 425.
prouincia *Gilanenſis* grauis eſt locus, ſanitatique minime commodus, morbis praeſertim putridis facile eius incolae et aduenae infeſtantur.

Quae in prouincia *Maſanderam* obſeruauit, potiſſimum culturam *Goſſypii*, *Sacchari*, *Vitium*, atque inde productarum rerum proprietates attinent: Tum etiam *Teſtudinum* nouas ſpecies, atque *Scor-* p. 483.
pionem Italicum, *Araneam Tarantulam*, quae illic non venenata habetur, atque *Phalangium*, Calmucis *Bychoncho* dictum venenatiſſimum, et hic depictum, quod nobis cum *aranoide* Cl. PALLAS *) idem eſſe videtur, illic habitare refert. Praeterea *Tigridis*,

*) v. comm. noſtr. ſupra p. 302.

Tigridis, *Ouis orientalis* et *Capreae bezoardicae* et *Cerui Pygargi* PALL. quem Perſae *Ahu* nominant, hiſtoriam deſcriptionibus egregiis perfectiorem reddit. Lapidem bezoar verum, qui coloris ſubcoerulei vel virideſcentis eſſe debet, penetrantiſſimo et gratiſſimo odore, indeque vi medica magna probabiliter praeditum eſſe ait; ſed, cum innumeris modis mangoniſetur, factum eſſe, vt eius vſus et effectu careret. E Glirium ordine nouos deſcriptos et pictos tradit, *Soricem puſillum* et *Murem mirum*. Verſus oram *Swidurue* magnam arenae ferreae copiam animaduertit, atque piſcandi modum illic vſitatum deſcribit.

p. 500.
p. 507.

XXII.

CARSTEN NIEBVHRS *Reiſebeſchreibung nach Arabien und andern umliegenden Ländern. Erſter Band. Kopenhagen, gedruckt in der Hofbuchdruckerey bey Nikolaus Möller.* 1774. 4 *2 Alph. 10 Bogen, mit 72 Kupfertaf.*

i. e.

Itineris in Arabiam aliaque vicina loca deſcriptio, Auctore CARSTEN NIEBVHR. Vol. I.

Cl. Auctor vnus ſolusque redux eſt ex eo itinere, quod iuſſu Potentiſſimi Danum Regis FRIDERICI V. quinque eruditi in Arabiam ſuſceperunt. Eorum FORSKÅLIVS propter hiſtoriam naturalem electus, vt et Medicus, Philologus, et Pictor mortui ſunt. Noſter praeſertim Geographiae illuſtrandae et corrigendae cauſſa profectus, tamen multa vtilia interſperſit, quae ad naturam cognoſcendam faciunt. De quibus ſolis hic quaedam notatu digniora referamus.

Contine-

Continetur hoc in volumine iter a Hafnia, per Conſtantinopolin, Alexandriam, Kahira, Damiat Sues, Djidda, Lohaia, Beitel fakih, Mochha, Taaes, Sana, iterumque per Moccham in Bombayum. Iter ab hoc loco in Hafniam ſecundus tomus habet.

Confirmatur lucem aequoream pendere ab animalculis molluſcis marinis, hoc loco Meduſae cauſſa fuerunt. p. 7.

In Inſula Malta Salinas adiit, quae quadratae ſunt, et quarum quaelibet 100 quadratos pedes aequat. Hae bis quotannis implentur aqua marina, quae ſponte euaporatur et ſal relinquit. p. 19.

Conſtantinopoli et in Aegypto diligenter et curate notauit Auctor Cel. aſtrorum ſitum et relationem locorum praecipuorum ad ſtellam polarem, regionumque amoenitatem, prouentus, incolarum mores, veſtitum, negotia aliaque. Inter alia notemus p. 148. machinas quatuor, quibus Aegypti terram continentem aqua ex Nilo irrigant, aliam, quae boum ope agitur, aliam pedibus calcandam, aliam, in regione circa Damiat adhibitam, quae pretioſiſſima quidem, attamen etiam vtiliſſima eſt; quartam denique ſimpliciorem, harpaginis noſtratium inſtar exſtructam. Penuria ligni lapidumque Aegyptus laborat: neque illic molendinas, aqua aut vento agendas vidit, ſed manu tantum vel equis machinae, ab Auctore deſcriptae, agebantur. Inſtrumenta agriculturae apta pauca et vilia ſunt. Bobus grana frumenti etiamnum excutiuntur. Carent curris vel plauſtris Aegyptii, machinam horum loco adhibitam, vt ceteras omnes, eleganter depictas curateque deſcriptas ſiſtit Auctor. Delineata quoque eſt fornax, in qua ſal ammoniacum paratur. Muri eiuſdem arcuatim ſtructi ſunt. Globi vitrei argilla cum limo mixto muniti, fuligine fimi vſti implentur atque ſuper fornacem, quae fimo ſicco repletur, ponuntur, non tamen aperturae

globorum occluduntur, ſed lateribus teguntur, ſpatiaque intermedia terra implentur, vt globi omnes tecti lateant. His factis fimus accenditur, atque ignis per tres continuatos dies aequalis conſeruatur. His finitis, globi franguntur, ac ſal ammoniacum ſublimatum in vſum adhibetur, relictis virideſcentibus cineribus, qui nulli vſui impenduntur. Perinde eſt, a quibus animalibus fimus ſit, ex quo ſal ammoniacum paratur. Fimus, qui in fornace accenditur, ſtramine mixtus ſiccatur. Fuligo ligni ſale ammoniaco carere dicitur. Probabilis omnino nobis videtur Auctoris coniectura, quod et in noſtris terris ex fimo animalium ſal ammoniacum poſſit confici.

p. 155. Tradit etiam hic Auctor Cl. iconem fornacis, in qua oua *Kahirae* excluduntur, cum diuerſa ſit ab illis, quam alii dederint.

p. 189. Sunt in Aegypto ſerpentes, qui muſicam amare videntur, caputque erigunt, circumgyrantur,

p. 195. vt ſaltare dicantur. Pyramides altiſſimae ex molliore marmore factae, in ſupremo cacumine interdum Granite tectae ſunt: In marmore hoc multa petrefacta minora, plerumque Helicitae reperiuntur.

p. 225. In itinere verſus montem Sinai in arena multa teſtacea inueniebantur, teſtimonia illic antea mare

p. 230. fuiſſe. Ab vrbe, *Sues* dicta, inde ad vallem *Giroudi* montes plerumque ſunt calcarei. Magis verſus orientem montes corneo ſcintillante, et petrefactis conchis, illis, quae in arabico Sinu inueniuntur, ſimilibus componuntur. Poſtea lapis durior magisque niger fit, atque venae granitarum hinc inde conſpiciuntur, quae, quo magis verſus montem Sinai tendunt, eo magis augentur.

Montes, qui vallem *Pharan*, a MOSIS aetate hoc nomine inſignitam cingunt, conſtant ex Are-

nario, in quo granites ruber nigerque inſperſus eſt. Naſci illic dicuntur Palmae.

In vrbe *Beitelfakih* incolae magna formicae cu- p. 318.
iusdam maioris, *Ard* dictae, copia vexantur, quae ſibi tubum formant, per quem ad ſummas arbores ſcandunt, comeduntque fructus, veſtes, aliaque quaelibet. Non aliter, niſi deſtructis his tubis, aliquantum domari poſſunt. Regio circa hanc vrbem plana, non quidem fertiliſſima, ſed arenoſa, gramineque et arbuſtis frequenter abundans, interim tamen culta eſt. Generatim haec regio amoena eſt, et aqua bona, palmis et arbore, ex quo indigo creſcit (ſine dubio *Indigofera tinctoria*) abundat. Non procul ab hac vrbe, prope a vico *Kahhme* erat collis, qui ex lapidibus quinquangulis conſtabat: lapides hi in ſtratis ad perpendiculum ſibi arcte iuncti erant, ſimilesque paſſim alibi vidit Auctor. Prope ab vrbe Orede Cl. FORSKÅL veram arborem balſami de Mecca inuenit, eamque in litteris, quas LINNAEVS inſeruit diſſertationi, Opobalſamum declaratum inſcriptae, vberius definiuit.

In vrbe *Taaes* FORSKÅLIVS montem *Sarreb* adire cupiebat, ſed diſſidiis incolarum impediebatur, hisque aliisque cauſſis aeger factus tandem moriebatur.

Cl. Auctoris obſeruationes praeſertim Geographiam, vti diximus, attinent, interim tamen lectu vtiles et amoenae etiam Phyſicis erunt, tum propter ipſas de moribus hominum, tum propter meteorologicas, ſub finem libri annexas.

XXIII.

Abhandlungen einer Privatgeſellſchaft in Böhmen zur Aufnahme der Mathematik, der vaterländiſchen Geſchichte, und der Naturgeſchichte, zum Druck befördert von IGNATZ EDLEN VON BORN. *Erſter Band. Mit 8 Kupfertafeln. Prag, 1775. Im Verlage der Gerliſchen Buchhandlung.* 1 *Alph. Seit.* 2.

i. e.

Tractatus ſocietatis priuatae Bohemicae in augmentum matheſeos, hiſtoriae patriae et naturalis, editi ab IGNATIO DE BORN Tom. I.

Ideo congreſſi ſunt viri doctiſſimi et illuſtres huius ſocietatis, vt inuenta et opera ſecum inuicem communicarent, atque, quae digna viderentur, publici iuris redderent. Atque laetari omnino omnes litterarum ſtudioſi poterunt de vtiliſſimo hoc conſilio, quo certe diſciplinae multum et egregie illuſtrabuntur. Primus hic tomus vtiliſſimos continet tractatus; praeſertim ii, qui matheſin ſpectant, ſunt maxima attentione digni. Nos vero eos hic ex inſtituti ratione praeterire cogimur, atque phyſicarum, non minus lectu digniſſimarum commentationum epitomen tradamus.

p. 243. *Litterae illuſtriſſimi comitis* DE KINSKY *ad Perill.* DE BORN, *mineralogicas et lithologicas notabiliores res continentes.* Primo refert Ill. Auctor, cacumen montis ſummi, *Pleſchiwez* dicti, in provincia Beraunorum quarzo puro conſtitui, neque procul ab eo eſſe petram quarzeam, diuturnitate temporis, et vi aquarum in columnas aliaque fruſta fiſſam; aliumque etiam vicinum eſſe aceruum

p. 244.

ſaxorum

ſaxorum quarzeorum. Atque ab hoc monte copioſa diſperſa in illa regione ſaxa minora, rotundata, quarzea, quos ſilices vulgo dicunt, probabiliter abrupta eſſe.

Deinde *Entomolithus paradoxus* LINN. in argilla fiſſili repertus eſt ab Ill. Auctore, atque integris exemplaribus, quae hic eleganter et accurate depicta ſunt, id cognouit, animal, qualecunque fuerit, facultate tamen ſe contrahendi praeditum fuiſſe. Sunt eodem in loco fodinae ferreae, quae vero male coluntur. Denique etiam confirmatur ſucceſſio lapidum primaeuorum *), de qua alibi iam diximus. p. 246. p. 251.

Reſponſio ad has litteras a Cl. DE BORN. Primo enumerat aliarum regionum notabiles montes quarzeos. Recte affirmari putat ex his et aliis lapidibus montium ſaxa minora diſperſa eſſe, atque cruſtam brunam, qua nonnulla cincta ſint, a martiali terra deriuandam eſſe. Obſeruationes ſubiicit Cl. Auctor, quas, ratione lapidum primaeuorum, cum in thermas Carolinas proficiſceretur, inſtituit. Illic in argillaceo ſchiſto argenti et ferri minerae inueniuntur. Verſus thermas Carolinas a vico *Taborn* ſolitaria Baſaltica et granitica ſaxa diſperſa ſunt. Baſis montium in priore loco eſt Granites. p. 253.

Obſeruationes mineralogicae, ex itinerariis nouiſſimis excerptae, Auctore EODEM. Conſtituit Perill. Auctor diſperſas in itinerariis obſeruationes mineralogicas, vtiles et nouas, hic colligere et a reliquis relationibus ſeparatim tradere, atque ſuas annotationes et illuſtrationes inſpergere. Tradit hſc, tentaminis inſtar, noua mineralogica obſeruata in *itinerario* Cl. PALLAS relata: atque, cum nos p. 264.

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 506.

ſupra *) de iis iam vberius egerimus, quasdam tantum Cl. Auctoris annotationes hic commemora-

p. 275. mus. Opinionem Cl. PALLAS, qui lapidem igniarium ex argilla, cum hypotheſi WALLERII, et aliorum, qui eum ex creta natum eſſe ſtatuunt, ita conciliat Cl. Auctor, vt oſtendat et argillam, et calcaream terram ad originem gelatinoſae maſſae, ex qua lapis igniarius fit, requiri.

p. 281. Nullum dubium eſſe ait Noſter, quin ſaxa granitica, de quorum origine Cl. PALLAS **) du-

p. 283. bitat, aquae vi a montibus Waldaicis illuc lata ſint. Cum *Tripela* iuxta Iaſpidea ſaxa inuenta ſit, CRONSTAEDTII ſententia, qui eam ex particulis Iaſpidis dilapſi natam putat, corroborari

p. 289. videtur. Auri grana, quae in fluuio *Okka* reperiuntur, Perill. DE BORN ex venis et fiſſuris montium ſoluta in illum cum riuis fluxiſſe putat. Gy-

p. 294. pſum Cl. Auctor ad lapides ſecundarios refert; nam et locus, in quo reperitur, et compoſitio, et petrefacta in eo contenta, quae Cl. Auctor ipſe poſſidet, hoc demonſtrant. Ceterum confirmat Auctor, Gypſum plerumque iuxta ſalium locum natalem

p. 336. eſſe. Cum ſalinis a Cl. PALLAS deſcriptis comparat alias in Polonia, Auſtria et Tranſylvania ſitas. Reliquas obſeruationes Lectoribus tamquam vtiles et amoenas commendamus.

*) v. comm. noſtr. ſupra p. 288.
**) v. ſupra p. 289.

XXIV.

Aufführliche Nachricht von neuentdeckten Zoolithen unbekannter vierfüſſiger Thiere, und denen ſie enthaltenden, ſo wie verſchiedenen andern denkwürdigen Grüften der obergebürgiſchen Lande des Marggrafthums Bayreuth. Von IOHANN FRIEDERICH ESPER. *Mit vierzehn illuminirten Kupfertafeln. Herausgegeben von Georg Wolfgang Knorrs Seel. Erben, in Nürnberg. 1774. fol. 1 Alph. 16 Bog.*

i. e.

Vberior relatio de nouiter detectis Zoolithis mammalium incognitorum, et ſpecubus eos continentibus, in marchionatu Byrutlino poſitis, Auctore IOANNE FRIDERICO ESPER.

Maxima ſane attentione digna eſt haec regio, quae vt et ea naturae producta, quae de mutatione globi terraquei teſtantur, petrefacta nempe, a Cl. Auctor diligentiſſime, et forte nimis copioſe, deſcribuntur. Eſt enim regio montoſa, iuxta pagos, Mokkas, Muggendorff, et Gailenreuth, quae in montibus calcareis plures magnasque ſpecus continet, in quibus petrefacta quamplurima, et praeſertim animalium mammalium reperiuntur. Notabiliora et integriora horum oſſa petrefacta in tabulis aeneis, ſumma ſane arte depicta ſunt: atque omnes Phyſici certe Cl. Auctori laudes et grates tribuent, pro huius mirandi phaenomeni vulgatione. Sed ad ſpecialiora accedamus.

Ex deſcriptione regionis indicatae haec notamus. In monte circa *Bretsfeld*, praeter alias mon- p. 2.

tanas plantas, *Draba Aizoides* et *Lichen farinac.*
p. 3. plantae alpinae, naſcuntur. In planitie verſus *Mokkas*, petrefacta, Madreporarum, Teſtaceorum et Echinorum reperiuntur. In hac regione rimae atque ſinus ex collapſa terra reperiuntur. In vno vicinorum montium reperitur perlonga, profunda, ſed anguſta ſpelunca, in qua eadem, quae in reliquis, inueniuntur petrefacta, in eo ab iis diuerſa, quod dendritae in iis inſculpti ſint, quos a ſalis Glauberiani ſolutione productos exiſtimat.

p. 9. Iam ipſam maximam ſpeluncam Zoolithorum prope a Gailenreuth ſitam vberius et accuratiſſime deſcribit; lapis montis, ſub quo ea extenditur, est calcareus, ipſa ſpelunca 80 perticarum profunditatem habet, atque in quatuor quaſi partes diuerſae altitudinis diuiſa eſt. In altera diuiſione oſſa petrefacta aliqua primo, in ſequentibus vero, et praeſertim in vltima copioſiſſima conſpiciuntur.

p. 22. In his ſpeluncis praeter dicta petrefacta vrnae, vel vaſa terrea reperta ſunt; ſuntque ipſae vbique humo animali repletae; marmor vero minoribus frustis et partibus animalium immixtum eſt, vti alibi conchyliis.

p. 33. Ex concretis maſſis vna continebat os, quod oſſibus maſticatoriis *Tricheci* *) aliquo modo ſimile erat, coſtam, auis forte cuiusdam, et in medio cochleam. Sic plura concreta deſcribuntur, in quibus diuerſa variorum, vt Cl. Auctori videtur, animalium oſſa reperta ſint. Praeterea autem illic oſſa animalium quamplurima, plura tamen diffracta libera diſperſa ſunt, ex quibus memorari merentur, cranium integrum, deficiente tamen maxillae ſuperioris parte anteriore; os bregmatis cum naſali, alius, vt Cl. Auctori videtur, animalis; mandi-

*) vid. STELLERI deſcript. in Comment. Petropol. Tom. II. p. 302.

la ſuperior et inferior, quarum priorem quatuor dentibus primoribus trifurcatis et quatuor laniariis, poſteriorem ſex dentibus primoribus et duobus laniariis inſtructum dicit. Verum ſi iconem comparamus, omnino dentes, quos laniarios breuiores et anteriores Cl. Auctor dicit, ad primores referendi ſunt, etſi acuti ſint: eodem enim modo comparati ſunt dentes in Cane et praeſertim Vrſo: quae omnia ſi conſiderauerimus, animal, quod Cl. Auctor ipſe cum Vrſo multum conuenire dicit, haut dubie ad Vrſi genus pertinebit: in qua re confirmamur, ſi ſceleton Vrſi maritimi albi *), quod ad manus eſt, contemplamur, cuius caput omnino cum iconibus horum oſſium petrefactorum conuenit, vt ideo nullum dubium nobis ſupereſſe videatur, quin plura ex his oſſibus ab hoc animale ſint, vti et Cl. Auctor coniicit. Reliqua oſſa depicta, ſiſtunt vertebras et quidem ſecundam diuerſae magnitudinis, ſincipita aliorum, vt videtur animalium, os calcis, atque femoris. Oſſa haec et alia, quae curate et copioſe a Cl. Auctore verbis deſcribuntur, tam diuerſa inter ſe ſunt, vt a pluribus animalibus eadem profecta arbitretur. p. 80.

Poſtea Auctor copioſe inquirit, quomodo hae ſpecus ortae ſint, et qua ratione animalia illuc deuenerint, ita vt in petras mutarentur; atque putat, omnia eſſe a diluuio Moſaico repetenda, quo tantae tantae inuerſiones factae; animalia vero iis in locis quaedam habitaſſe, quaedam fluctibus aquarum huc lata eſſe. Sicque ſimul omnes reliquas opiniones refellere ſuſcipit, obiectionibusque omnibus reſpondet.

His expoſitis Cl. Auctor reliqua memorabilia naturae producta vicinae regionis indicat. In praefectura dicta *Streitberg* copioſa ſunt marina p. 107.

*) Eſt hic quoque a Cl. PENNANT depictus. vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 348.

p. 110. rina, circa pagum *Muggendorff* conchylia petrefacta inueniuntur; non procul ab hoc vico est magna et satis extensa specus, *lapis pulcher* dicta, quae magnitudine et varietate stalactitorum aequat specum Baumannianam in Hercynia: praeter hanc plures aliae similes maiores, minoresue deprehenduntur speluncae, quarum plurimae similes Zoolithos continent. Reliqua regio diuersis petrefactis Echinorum, Entrochorumque repleta est.

XXV.

D. IOHANN CHRISTIAN ARNOLD, der *Arzney und Hebammenkunst Practicus zu Lissa in Gros-Pohlen, Gedanken von der Zulässigkeit der Meynung: die Mutter wirke in die Bildung ihrer Frucht durch die Einbildung.* 1. *Versuch. Leipzig.* 8. 111 *Seiten.* 2. *Versuch ibid.* 1775. 108 *Seiten.*

h. e.

IOANNIS CHRISTIANI ARNOLD, Med. Doct. etc. cogitata de opinione, matrem imaginatione sua ad mutandum ac deformandum fetum valere. Tentamina I et II.

Primo quidem tentamine Cl. Auctor quaedam de ortu huius, vt putat, vanae opinionis, quidue
p. 15. homines cum ea sibi velint praefatus; ad quae-
p. 21. stionem pergit, vtrum opinio ista, de maternae imaginationis ad fetum suum formandam efficacia, cum praeceptis, voluntate ac sapientia Dei conueniat, an ipsis potius sit dedecori. Cui vt respondeat ita versatur, vt primo demonstret hominis formationem esse coniunctionem et coordinationem summam partium corporis, quae diligenter

genter fabricatae et apte diſpoſitae ad vitam pergendam, actiones obeundas et valetudinem ſuſtinendam valere poſſint. Hanc vero artificioſam p. 22.
corporis fabricam a ſapientiſſimo rerum creatore omnibus hominibus neceſſario tribuendam eſſe, contendit. Quomodo autem et quibus legibus, p. 23.
quoue tempore fetus formetur, de his inquam omnibus, quippe obſcuriſſimis, non ſubtiliter inueſtigandum eſſe, perſuadere conatur.

Ipſam vero hominis internam externamue p. 27.
fabricam, in aliis aliam eſſe, atque mirum in modum, quamuis in minutis partibus differre, experientia quotidiana, ait, euinci. Neque varietates eas p. 29.
temere eſſe inordinatas, ſuperfluas deformesque appellandas, cum ſemper natura per homines et vitam et valetudinem promoueri ſtudeat. Incredibi- p. 33.
lemque ſapientiam ex eo elucere, quod in vniuerſo rerum creatarum concentu, duae res ſibi omni ex parte ſimiles geminaeque nequeant reperiri. Exemplis deinde deficientis ſaporis et odoratus, p. 36.
probare conatur hominum iſtorum corpora tam p. 38.
perfecte fuiſſe conſtructa, quantum maxime in iis fieri poterit.

Tum ad monſtra ſic dicta progreditur, quorum nempe interna aut externa partium ſtructura a conſueta inſigniter diſtet, quas differentias vt dilucidiores reddat naturalem cordis fabricam et ſanguinis circuitum exponit, tum hominis adulti, tum etiam fetus. Id quod deinceps cum cuius- p. 49.
dam infantis inuſitata forma comparat, quae qui- p. 57.
dem duobus conglutinatis capitibus, ceruice vna lata, manibus pedibuſue quatuor, atque duplicibus genitalibus, praeſentium incitabat attentionem, quam geminum quoque hepar, funiculus vmbilicalis duplex, lienis defectus, tres pulmones, vnicum denique cor, quatuor et arteriis et venis praeditum,

mire

mire augebant. Quam tamen ſingularem prorſus ſtructuram, ad huius fetus vitam propagandam artificioſiſſime fuiſſe elaboratam, atque ita comparatam, vt, cum huic fetui ſimplex tantum viuenda fuiſſet vita, neceſſario eſſe debuiſſet, arbitratur; et
p. 89. in eo maiorem partium quarundam numerum improbare, idem eſſe, atque horologium octo rotis compoſitum ideo vituperare, quoniam alia decem, alia quinque tantum conſtarent.

p. 93. Neque hunc fetum ex duobus connatum, ſed ita iam ante delineatum formatumque fuiſſe contendit, quoniam conglutinationis nulla detecta fuiſſent veſtigia. Tum ſingula in hoc infante noua et inſolita reperta perſequitur, oſtenditque omnes iſtas partes, quae obiter inſpicienti inutiles, ſuperfluae, inordinatae temereque conflatae videri poſſent, omnes inquam ſi oculo perſpicaci ac in ſingula re creata ſapientiſſimum auctorem deprehendere ſolito contemplaremur, mirabiliter artificioſas, et a ſummo rerum fabricatore apte diſpoſiteque exſtructas atque elaboratas apparere. In quo quidem argumento tractando Cl. Auctor imitandam ſuam erga numen ſupremum reuerentiam luculenter patefacit.

p. 119. Secundo vero tentamine Cl. Auctor ad aliam quaeſtionem progreditur, num haec opinio de *maternae imaginationis in fetum ſuum formandus efficacia, reipublicae ſi non vtilis, at certe innoxia ſit.* Cui quidem quaeſtioni ita ſatis facere ſibi videtur, vt primo hanc opinionem eatenus ciuitati innocuam eſſe pronunciet, ſi homines ſimilem parentibus prolem per imaginationem maternam procreari
p. 124. poſſe opinentur. Quod ſi vero haec eadem opinio de perfectione, pulchritudine et deformitate iudicium facere audeat, tum ſcilicet eam publicae rei reforre

eique

eique noxiam fieri arbitratur. Nam iudicio alterius de altero in vtramque partem, ſocietatis humanae vinculi firmitatem maxima ex parte niti. Quaecunque vero in hanc ſententiam copioſe ſatis diſputata ſint a Cl. Auctore haec in vniuerſum ad temerariam tantummodo hominum, de aliorum maiori minoriue dignitate aut vilitate ex forma eorum aeſtimationem pertinent. Neque vllo modo, vt cuiquam apparebit, ad opinionis iſtius illicitam rationem demonſtrandam valebunt. Aeque enim reipublicae noxium erit, infantes inſolite formatas horrida, prodigioſa, mutilataque putari monſtra, ſiue haec deformatio ad maternam imaginationem, ſiue aliam quamcunque cauſam atque etiam Deum ipſum vulgo referatur.

Quod idem fere de argumento valet, dum inter diuerſos multitudinem hominum augendi, id eſt publicam vtilitatem propagandi modos eum praecipuum eſſe ratur, vt parentes de educandis ſuis liberis quam maximam gerant curam, colligit fieri non poſſe, quin curae iſtius vigor, ſi non exſtinguatur, certe infirmetur et frigeſcat, cum parentes deformitatem prognatae ſobolis ab imaginatione profectam opinati, eam adeo negligant aut tantilli faciant, vt cito plerumque intereat, aut miſericordia indulgentiaque nimia atque intempeſtiua ducti eam in peius ruere deterrimisque moribus imbui ſinant. p. 127. p. 131. p. 138. p. 144.

Exempla vero feminarum, quae ſecundum noſtrum auctorem fetum a ſe expuliſſe perhibentur, metu ſe monſtra paritura eſſe, multae adhuc dubitationi ac ſuſpicioni locum relinquunt. Deinde obiectioni alicui, quod tamen et idem ad propoſitum non pertinebat, monſtris illis rempublicam oneratum iri, ita occurrere ſtudet, vt opinetur, fore, vt iſti ſingulari alienoque modo formati homines, p. 150. p. 152.

ad

ad varia vtiliaque ſuſcipienda negotia valeant, quibus quidem homines, qui nunc ſunt, non apti eſſent, quod, qui fieri poſſet, non perſpicitur.

p. 156. Poſtea alteri quaeſtioni venit obuiam Cl. Auctor. Num ſcilicet haec de imaginatione materna opinio etiam ſingulorum ciuitatis membrorum ex re ſit, re tamen publica incolumi? Cui ita reſpondet, vt, multa de ſanitate corporum ex tranquillitate enata praefatus, vtramque ab iſta opi-
p. 164. nione impediri dicat; nam grauidam mulierem iſto inani errore infectam, inquietem, ſollicitam,
p. 172. anxiamque fieri; in ipſo autem partu hanc fluctu-
p. 176. tionem et metum augeri, fetum vero monſtroſum ſi enixa fuerit, moerore ex iſta opinione profecto
p. 177. confici atque non raro exſtingui, cuius generis exemplum, et ipſe in medium profert.

De iudicio inhumano quorundam hominum, qui in his monſtroſis infantibus diuinam erga parentum vitia vindictam deprehendi dictitant, multa,
p. 184. ſed minus ad rem diſſeruntur. Ceterum aliquos
p. 195. libros de maternae imaginationis ad fetum mutandum
p. 198. efficacia tractantes laudat. Poſtremo quaedam partim iam dicta, partim tralatitia adiungit.

XXVI.

Fetus cum matre per neruos commercium. Diſſertatio inauguralis propoſita ab IOANNE VLRICO THEOPHILO SCHAEFFER Ratisbonenſi. Erlangae. ſtanno Waltheriano. 4. 1775. c. fig. aenea. 7½ plagg.

Huius praeclarae diſſertationis ordo ſic eſt compoſitus, vt primo anatomica et phyſiologica praemittat hypotheſesque enarret easque, quas cum

cum ſua theoria non conueniant, refutet, deinde theoriam ſuam proponat, denique de vi pathematum ad matrem loquatur.

Primo in genere de functionibus ſermonem facit atque ſexus functiones ad naturales refert, cum ſecretione et excretione fiant. Dum anatomiam funiculi vmbilicalis exponit, contendit venam vmbilicalem ſumma ſapientia tortuoſo curſu procedere, ne celeris impetus ſanguinis fetui incommoda procreare poſſit, atque funiculi vmbilicalis inuolucrum eſſe prolongationem tunicae amnii. Etiamſi nullum ſenſum in placenta atque funiculo vmbilicali, neque vllus neruos in his detexit, tamen nerui negari non poſſunt. Nam vaſa placentae ab vteri- p. 10. nis, quae muſculari tunica neruisque inſtructa ſunt, oriuntur et ſanguis matris mutari debet in placenta et fetu ipſo in humores ad nutrimentum aptos, quae quidem mutatio ſine neruis, vt et placentae incrementum, fieri nequit. Pilos etiam incre- p. 13. mentum capere auxilio neruorum neque materia vnguinoſa perſpirabili Noſter affirmat, cum adſint neruorum plexus circa bulbos pilorum poſiti.

p. 1.

p. 9.

Poſtea negat tranſitum ſanguinis in placenta, p. 14. vti in tubis capillaribus fieri: etſi enim in primo grauiditatis tempore vaſa ſanguinem vehentia etiam tanquam tubi capillares aſſumi poſſint; tamen in protractiori tempore lumina vaſorum maiora reddi neque tunc tuborum capillarium inſtar agere poſſe dicit. Similitudinem vaſorum placentae cum tubis capillaribus quoque turbant leges phyſicae, quae docent tubum capillarem pro diuerſo ſitu, mox vnam modo, mox plures guttas recipere. Cl. Auctor aſſumit, refluxum fluidi neruei, in ſenſu, p. 16. affluxum vero eius in motu exerceri atque in diuerſis tubis fluidum nerueum moueri. Materia ner- p. 17.

vea, quae ſenſum efficit, non ad ſenſorium commune peruenit, neque ea, quae motum adminiſtrat ad partes externas, ſed eſt materia aliqua intermedia.

p. 20. Sunt nerui, qui tantum ſentiunt, ſcilicet nerui
p. 21. cerebri. Neruos alueolares annumerat Noſter neruis ſentientibus. Eſt enim, vt dicit, conſenſus horum neruulorum cum neruis organi auditus, quod eo Noſter demonſtrat, cum nempe horologio dentibus capto, auribusque obturatis ictum perſentiſcimus. Concedit quidem tubis EVSTACHII plurimum tribuendum eſſe, ſed tamen et neruos alueolares quaedam ad hoc phaenomenon
p. 22. conferre. Abſentibus etiam fibris muſcularibus, tamen neruuli et motus adeſſe poſſunt, quod
p. 23. probat nyctalopia et hemeralopia. In placenta atque funiculo vmbilicali igitur reperiuntur nerui mouentes neque ſentientes et affluxus materiae nerueae ad has partes fit, refluxus vero prohibetur.

p. 25. Refutatis iis, quae contra theoriam Auctoris moneri poſſent, dicit, cordis motum etiam ſuam ſententiam confirmare atque probare. Ad cor enim nerui mouentes neque ſentientes progrediuntur atque dolor in pectore a maiori motu ſanguinis in pulmonibus, neque a neruis cordis oritur
p. 28. ſentientibus. Porro Auctor affirmat, neque abſurdum eſſe, neque fieri non poſſe, neruos mouentes matris, ſentientes prolis conſtituere. Anaſtomoſis etiam neruorum matris et infantis, licet non quoad fluidum nerueum, tamen in neruorum integumentis locum habet.

His bene propoſitis de vſu huius theoriae atque quaedam de vi imaginationis maternae in fetum Cl. Auctor loquitur, ad monſtra progreditur et caſum huiusmodi monſtroſi infantis profert, cuius formam et figuram in adiecta tabula aenea exprimi

iuſſit. Femina ſine dubio grauida perterrebatur, p. 38.
cum videret hominem pedibus manibusque reptantem, eoque iterum poſt tres hebdomadas viſo, iterum terrorem ſentiebat, atque haec menſe octauo puellam, poſt partum mortuam, procreavit. Digiti manus huius fetus erant craſſi, connati atque nonnulli vnguibus carebant. Funiculus vmbilicalis naturali et bona ſtructura gaudebat. Digiti pedis vnius extremitatis quoque corrupti erant. Siniſtra extremitas in regione muſculorum gaſtrocnemiorum quaſi amputata erat, et recenti cuticula obducta ita, vt modo paruula et rubicunda vulnerisque recentis ſpeciem prae ſe ferens pars remaneret. Ibi fibula atque tibia conſpicua erat atque inter haec oſſa oriebatur fibra, cuius extremo corpus muſculoſum adhaerebat, in quo quinque inciſurae, digitos pedis aemulantes apparebant.

Quod ad animi pathemata attinet, Noſter au- p. 39.
tumat, ſtatum naturalem futuri infantis ſaepe pendere a temperamentis atque diſpoſitione animi parentum nihilque impedire, quominus credat parentes et alia obſtacula ad ſtatum praeternaturalem quaedam conferre poſſe. Hic quoque de morbis hereditariis quaedam exponit. Opinionem p. 40.
ſuam confirmat demonſtrationibus phyſiologicis, quibus a communicatione circuli ſanguinis et neruorum conſenſu matris et infantis deformationes probat. Denique eos, qui vim pathematum ad matrem p. 46.
negant, recenſet, eorumque opiniones ita proponit, vt reſpondeat ad eorum argumenta.

XXVII.

Analecta ad Antiquitates medicas, quibus Anatome Aegyptiorum et HIPPOCRATIS, nec non mortis genus, quo *Cleopatra* Regina periit, explicantur. Iterum retractauit, recenſuit, et teſtimoniis veterum ſcriptorum confirmauit CHRISTIANVS GODOFR. GRVNER, Med. Doctor, Botanices ac Theoretices in Academia Ienenſi Profeſſor publ. ord. Facultatis medicae Aſſeſſor, Societatis Latinae Ienenſis ſodalis. Vratislauiae, apud Kornium, clɔ Iɔ CC LXXIV. Plagg. II. in forma maiori 8.

Nuper iam Cl. GRVNERI laudauimus veteris Medicinae, et Philoſophiae inprimis, cognitionem. Hic libellus iterum noſtram exiſtimationem comprobat, oſtenditque, quam praeclarum ſtudium et ad hiſtoriam Medicinae fructuoſiſſimum in antiquitatibus medicinae Graecae cognoſcendis et inueſtigandis collocauerit Noſter. Certe quo maioris vtilitatis, et difficultatis, hiſtoria medica recte tractata a rerum peritis exiſtimatur eſſe, eo acceptior gratiorque debet nobis videri opera et induſtria Viri, qui in illa ſibi elaborandum ſuſtinet, praeſertim in ea hominum, qui vel poſſunt, vel volunt hic aliquid laudis mereri, penuria, qua noſtra aetas magis magisque premitur, vbi magis praeſentia ſpectantur, quam curantur cognoſcunturque praeterita. Sed age ad enarrandum argumentum libelli potius accedamus. In praefatione ſatis ampla reſpondet Auctor obiectionibus cuiuſdam SCHNEIDERI, qui nimis acerbe et temere Cenſuram librorum Hippocraticorum perſtrinxerat.

Sunt

Sunt, qui Aegyptiorum veterum Anatomen vehementer laudent, eorumque cognitionem corporis humani plane eximiam fuisse contendant. Istorum hominum opinionem Noster hic conatur refutare. Quicquid enim de OSIRIDIS, ISIDIS, HARPOCRATIS et MERCVRII TRISMEGISTI scientia iactetur, esse vel plane fabulosum, vel certe ita obscurum, vt certum, quod insit, vix deprehendi possit; aut si qua Medicinae cognitio illis sit tribuenda, eam vltra herbarum quarundam medicamentorumque vsum non assurgere. Idem quoque statuendum esse de Sacerdotum Aegyptiorum scientia medica; qui, procul abesse, vt exquisita corporis humani cognitione imbuti fuerint, vt superstitione et religione impediti fuerint, quo minus corpora mortuorum siue hominum siue caeterorum animalium inspicerent; quippe quae ne tangere quidem fas fuisset. Certe HERODOTVM, quo loco recenseat singula Aegyptiorum inuenta, omnino corporum dissecandorum inspiciendorumque consuetudinem praetermisisse. Cuius igitur auctoritatem maiorem habendam esse, quam CLEMENTIS ALEXANDRINI, vt multo recentioris, qui inter MERCVRII Aegyptii libros commemoret etiam aliquot, qui ad anatomen pertinent. Nec vllo modo quicquam certi argumenti ad hanc Medicinae partem probandam duci posse ex pollinctura, qua Aegyptii in corporibus condiendis sint vsi: etenim hanc rationem *maxima cum oscitantia et fine vllis artis legibus* ab Aegyptiis esse administratam, satis fieri clarum ex loco HERODOTI, vbi de hac pollinctura narrat.

Quamquam libenter cuiuis viro docto concedimus, Aegyptiorum cognitionem Anatomes non metiendam esse perfectione et incrementis, quae

haec Medicinae pars praeſtantiſſima inprimis ab HARVEI aetate cepit: Auctoris tamen doctiſſimi ſententia et argumenta nos nondum ita commouerunt, vt Aegyptios in hoc genere prorſus rudes fuiſſe crederemus. Nam primum cum factis conſtet, inprimis Aegyptiorum ſacerdotes Medicinam feciſſe: haut a vero abhorret, iiſdem quoque partes corporis internas praecipuas, earumque vſum et functiones fuiſſe cognitas. Deinde corpora mortuorum tangere ac tractare non nefas habitum eſſe illorum moribus, non modo intelligitur ex pollincturae ipſius ratione, verum etiam ex loco HERODOTI II, 90. vbi diſerte *Sacerdotibus Nili* ius mortuos contrectandi tribuitur. Tum praeter EVSEBII teſtimonium de hoc genere habemus etiam CELSI auctoritatem Praef. lib. VII. qui nonnullos Medicos commemorat in arte chirurgica celebres apud Aegyptios. Qui quaeſo fieri potuit, vt haec Medicinae pars, quae manu curat, ſine cognitione et inſpectione corporis coleretur? Denique omnium luculentiſſimum rei argumentum eſt in pollinctura: haec profecto fieri non potuit, niſi ab corporis humani eiusque ſingularum partium internarum praecipuarum peritiſſimis. Hanc vero condiendorum corporum rationem nec vanam nec negligenter factitatam eſſe, HERODOTI auctoritate procul abeſt, vt infringatur, vt confirmetur maxime, vti inſpectio loci quemque docebit. Etſi vero, fatemur, ex illa narratione non apparet modus, quo facta ſit, ita, vt nosmet ipſi poſſimus induſtriam illorum hic imitari: tamen hiſtoricus narrat, quod ſui muneris erat, vtcunque rationem et diuerſitatem rei. Quid? ſi plane vana illa res fuit, cur quaeſo etiamnum illius rei reliquiae ſuperſunt? Igitur ſi his argumen-

argumentis ſatis feciſſet Auctor doctiſſimus, tum in eius ſententiam alacriter pedibus iremus.

Sed ab Aegyptiis nunc, duce GRVNERO noſtro, accedamus ad HIPPOCRATEM Medicinae parentem: vbi quaeritur, *ſecueritne humana corpora, necne?* Noſter, aduerſus ſententiam virorum maximorum, GALENI, BOERHAAVII, HALLERI, TRILLERI ſexcentorumque aliorum, audet negare, Hippocrateam anatomen, ſi qua fuerit, de corporibus humanis diligenter repetitam eſſe; ſed vel ex animalium brutorum lacerātione, vel curatione vulnerum ſola hauſtam et perceptam. Nam primo quamquam Aſclepiadarum in hoc genere cognitionem eximie laudet extollatque GALENVS; cum tamen certum illorum documentum nuſpiam extet, GALENI fidem et auctoritatem, quae alias quoque admodum ſit lubrica et fallax, hic nihil quicquam valere. Deinde quoniam omnis veterum medicina, auctore ipſo GALENO, ſola experientia et vſu conſtiterit: anatomen κατ' ἐπιτήδευσιν locum non habuiſſe, ſed tantum κατὰ περίτ]ωσιν, h. e. quae caſu oblata ſit, et percepta per vulnus et alia his ſimilia. Denique quod, quo minus ſecaret corpora humana HIPPOCRATES, religione et ſuperſtitione fuerit prohibitus.

In hac doctiſſimi GRVNERI ſententia deſideramus hoc, quod magis nititur argumentis metaphyſicis, quibus in re hiſtorica nihil fallacius eſſe poteſt, quam teſtimoniorum vi ac pondere; praeſertim cum CELSVS, GALENVS, SORANVS, SVIDAS, aliique de Hippocratea anatome ſecus ſtatuant. GALENVM quidem vero non eſſe hominem vanum et temerarium, qui facile ſibi imponi ſinat, aut aliis imponere audeat, ſed

eius diligentiam certa ab incertis, vera a falsis distinguendi haud mediocrem esse, cum aliunde constat, tum ex Commentariis in Aphorismos HIPPOCRATIS, et in libros de morbis epidemicis. Caeterum quamquam negari nequit, veterum religionem in corporibus hominum mortuorum sepeliendorum aliquam fuisse: tamen hinc plane nihil ad anatomen HIPPOCRATIS refutandam argumenti trahi potest. Nam primum *sepelire* non tam esse humare, quam omnino corpus a conspectu hominum remouere, dicique de concrematione, de proiectione in mare, de suspensione ex arboribus, aliisque sepulturae generibus, luculenter multis exemplis demonstrauit GISB. CVPERVS Obseruatt. I, 7. Igitur nihil obstat, quo minus corpus sepeliri, et ita religioni satisfieri dici possit, si corpus dissecatur, praesertim cum partes dissectae et inspectae aeque possint sepeliri, aut humari, i. e. terra obrui. Deinde homines nocentes, veluti, proditores patriae, sacrilegos, et *ἀτόμους* ab honore sepulturae eximendos esse, patet ex locis, quos laudant KIRCHMANNVS de Funerib. App. cap. 4. et LEISNERVS ad BOSII Antiquitt. sub finem.

Accedamus nunc ad tertiam et vltimam libelli partem, quae de mortis genere, quo *Cleopatra* Aegyptiorum Regina periit, exponit. Sunt, qui contendant, istam mulierem veneno hausto periisse; sed Noster recte, auctoritatem optimorum Historicorum veterum secutus, aspidis morsu vitam sibi finiisse, probat argumentis luculentis.

XXVIII.

CAROLI A LINNÉ genera morborum in auditorum vſum publicata. Editio iterata; foras dedit et nomina Teutonica adiecit IOANNES CHRISTIANVS KERSTENS Med. et Philoſoph. D. et Prof. Ord. Kilon. Acad. Imper. Nat. Cur. Sod. Hamburg. et Guſtrauiae ſumtibus Buchenroederi et Ritteri 8. ſ. a. pl. 4.

Anno 1763. Vpſaliae prima huius libelli editio, vti ex proemio intelleximus, prodiit auctore Ill. LINNAEO, qui botanicorum ſyſtema et in medicina imitandum eſſe arbitratus eſt, et, dum vltra viginti annos b. SAVVAGES *) methodum in hac academia docuit et quotannis ſecundum recentiorum obſeruationes emendauit atque auxit; Ipſe conſtituit hoc ſyſtema morborum condere, ſecundum Sauuageſianum ſyſtema, quod ordine naturali, characteribus et perfectione, Ill. LINNAEO iudice, aliorum omnium methodos ſuperauit.

Cl. KERSTENS ea propter hunc valde rarum et vtilem librum tam ad definiendos morbos, quam ad recte intelligendam Ill. LINNAEI materiam medicam iterum vulgauit, ipſum opuſculum prorſus intactum reliquit, quaedam addidit e. gr. ſterilitatem, ac inprimis Suecicorum nominum in locum ſubſtituit Teutonica. Ita enim differt haec editio a priori, quae praeterea cum diſſertatione

*) v. comm. noſtr. Vol. XII. p. 37. Referendum quoque hic eſt Cl. SAGAR ſyſtema morborum, tanquam additamentum ad Cl. SAVVAGES opus. v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 448. it. Cl. CVLLEN v. ib. Vol. XX. p. 716.

academicis amoenitatibus *) inſerta, exceptis Suecicis nominibus, quae addita ſunt ab Ill. LINNAEO omnino conuenire videtur. Nos vero, qui de his generibus morborum iam quaedam **) notauimus, hic ſolummodo Germanicorum nominum rationem habebimus.

p. 14. Appellatur Teutonice ſphacelismus, *Gotter-*
p. 15. *hand*, phlegmone *Fetthautentzündung*, cynanche *Kehlſucht*, ſyrigmos *Ohrenklingen*, lipothymia *Beſchweimelung*, asphyxia *Todtenohnmacht*, anosmia *Geruchloſigkeit*, atechnia *Reizloſigkeit zum Beiſchlaff*,
p. 28. hieranosos *Begeiſterung*, ephialtes *Alp Mahr*, cre-
p. 37. pitus *Windeplage*, galactia *Milchfluß*, *Milchrinnen*, intertrigo *Wundſeyn*, *Frattſeyn*, *Wolf*, rhagas *aufgeſprungene Haut*, noma *um ſich freſſender Geſchwür*
p. 38. cocyta *Höllenſtich Skott*, preſſura *Nagelſprung*, arctura *Nagelzwang*, *eingewachſener Nagel*, bacchia *Kupfer*, *Kupferhandel*, natta *Speck- oder Talgeſchwulſt*, clitorismus, *Kitzlersgeſchwulſt* cet.

Praeterea eſt hic additus index duplex latinus nempe, qui et deeſt in diſſertatione ſupra ***) a nobis iam memorata et Teutonicus, quem Cl. KERSTENS adiecit et valde vtilem nos iudicamus.

*) Vol. VI. diſſ. 124. genera morborum Reſp. *Io. Schroeder* 1759. d. 5. decbr. p. 452. comm. noſtr. ſecund. decad Suppl. I. p. 25.
**) v. comm. noſt. l. c.
***) vid. ſupra.

XXIX.

Noua phyſico medica.

Academia ſcientiarum, artium et literarum *Divionenſis* pro anno 1777 propoſuit eandem quaeſtionem, quam iam annis 1771 et 74*) reliquerat virorum doctorum iudicio atque disquiſitioni praemio trium numismatum promiſſo. Atque concernebat haec ipſa quaeſtio mutationem et mixtionem acidorum in oleis et indolem variorum ſaponum, inde compoſitorum.

Hanc itaque quaeſtionem vel Latina vel Gallica lingua conſcribere Viris eruditis, qui hac de re agere velint cum academia, placebit. Tradendae ſunt elaborationes ante calendas Aprilis eiusdem anni Cl. MARET conſueto more. Singulum numiſma aureum erit trecentarum librarum valore, in cuius altero latere fundatoris Academiae Cl. PAVFFIER effigies, in altero autem Academiae huius ſymbolum eſt expreſſum.

Alterius quaeſtionis: in quibusnam nempe morbis medico agendum vel exſpectandum ſit, a nobis iterum iterumque eſt mentio iniecta**).

Pariſienſis Academia ſcientiarum Regia, praemium inſolitum 1200 librarum ad annum 1777 conſtituit *disquiſitioni et examini chemico Indigi, quo vtuntur in negotio tinctorio. (analyſe et l'examen chimique de l'Indigo, qui eſt dans le commerce pour l'uſage de la teinture.)*

Eadem extra ordinem, volente ita Rege, praemium 4000 librarum conſtituit ei, *qui inuenit celerrima et minus ſumtuoſa remedia in Gallia nitrum largiorem*

*) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 708. Vol. XVII. p. 349. Vol. XVIII. p. 151.

**) vid. ib. Vol. XX. p. 144.

giorem in modum parandi, vt visitationes in domi singulis, quae per iura licebant nitrariis, intermitti queant.

Addita sunt praeterea duo *accessit*, vnum 1200 alterum 800 librarum.

Elaborationes Latina seu Gallica lingua sunt scribendae et ante 1mum diem Aprilis 1777. mittendae. Praemium distribuetur post Paschatos diem festum 1778.

Academia scientiarum et artium elegantiorum *Berolinensis* ad annum 1777. quaerit:

Quae amplitudo angulorum definita praecipue generi cuiuis secretionum requiratur? Quomodo experimentis impetrari possit huius definitionis integritas atque veritas; quae inde celeritatis atque sanguinis circumfluentis directio redundat; quod fundamentum huius rei firmis argumentis muniendae sufficiat?

(*Quelle est la grandeur déterminée de ces angles préférablement requise pour chaque espece de secretion? comment on peut le mieux paruenir par des experiences a fixer cette determination? et quelles sont les modifications dans la célérité et dans la circulation du sang qui en résultent? Ce qu' il faut appuyer sur des calculs dont les principes soient d' une solidité suffisante.*)

Quae praeterea oportet curare, cum Academia hanc ipsam rem communicaturos, tanto securius hic mittere possumus, quanto accuratius in superioribus *) sunt notata.

Regia *Gottingensis* scientiarum societas die 11 nouembris 1775, quo ipso haec societas fundata est, et annum vigesimum et quintum fundationis celebra-

*) v. comm. nostr. Vol. XV. p. 547.

celebrabat, repetit quaeſtionem eamque diſtulit ad annum 1777, attinentem coryzam equorum *), quae vtrum contagioſa ſit, nec ne ex indubitatis experimentis atque tentaminibus certis ſocietas inprimis quaerit.

Miſſae quidem ſunt Societati tres elaborationes, penitus tamen voluntati Eiusdem non ſatisfaciebant. Quapropter eam quaeſtionem denuo tradidit ideoque elaborationes vult 1777. anno, vt tentaminibus, accuratione atque diligentia ſumma inſtitutis experientiaque vere confirmatis, quoad naturam et indolem equorum, quoad res externas, quae huic morbo quid tribuere poſſunt, quoad gradum morbi, et conditionem aliorum equorum, qui infecti ſunt nec ne, aliquid certi atque indubitati de infectione atque contagio coryzae equorum quis dicat.

Praemium eſt moneta duodecim aureorum Holſandicorum. Commentarii ante finem Septembris 1777. ſunt ita tradendi, vti alibi monuimus. Rogat ſocietas et eos ipſos, qui iam cum ea elaborationes huius rei communicarunt, vt denuo in eandem inquirant ideoque cum ſocietate agant; hac tamen cautione adhibita, ne leges ſocietatis laedantur.

Cl. ERNESTVS GODOFREDVS BALDINGER, ſocius exterus Electoralis Bauaricae Academiae ſcientiarum, quae Monachii floret, eſt electus.

Cl. HELL Societatis ſcientiarum Gottingenſis exterus factus eſt ſodalis.

Regiae ſocietatis ſcientiarum Gottingenſis ſodalis exterus nominatus eſt Cl. IOSEPHVS THADDAEVS KLINKOSCH **).

Expe-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 552.
**) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 523.

Experientiſſimus FRIDERICVS AVGVSTVS GOTTLIEB KNOLLE a rege Poloniae archiatri honore eſt affectus.

Domum obſtetriciam conceſſit Senatus Holmienſis communem partui feminarum pauperum et virginum, a quibus humani quid non fuit alienum, praeceptis ſaluberrimis munitam.

Cl. DESAVIE pharmacopaeus Leodinus viam inuenit ferri in infinitum diuidendi et iungendi rebus ad eius vim contra morbos augendam atque facilitandam idoneis.

Illuſtris profecto Pater FOVRCAVLT die 3. auguſti 1775. quinquageſimo ſeptimo aetatis anno *Florentiis* in monaſterio Minimen morbo neruoſo ex hac vita diſceſſit. Burgundiae natus eſt et inprimis corporum naturalium conſeruatione in muſeis admodum clarus. Et quamquam huic ipſi ſtudio ſeptimo et vigeſimo aetatis anno ſeſe dicarat, tamen illud ſine omni duce egregie coluit et auxit. Arcebat non ſolum vermes a corporibus in muſeis ita, vt eorum natura, ſtructura, color minime laederentur; ſed etiam aues inprimis in cylindrum vitreum per valde anguſtum orificium ingerere, illaeſa earum forma didicerat, quem hermetice ita claudebat, vt nec aër, nec puluis, nec humiditas eas corrumpere poſſet, ſed viuae quaſi ſine vlla labe conſeruarentur, Eſt quoque huius ipſius artificii cauſa a multis Academiis e. gr. Pariſina, Lugdunenſi, Diuionenſi, Bononienſi cet. ſocius electus atque nominatus.

Anno 1767. Parmam vocabatur et eadem ratione, eodem ſucceſſu, eademque omnium admiratione qua-

quadrupeda animalia apta reddidit ad conſeruationem in muſeis.

Maximum profecto opus artificioſum, ab EO confectum, eſt piramis viginti et quatuor cylindrorum vitreorum, quae multas aues continet et cuius deſcriptionem in diario hiſtorico *), quod prodiit Francoforti ad Moenum, inuenient huius occupationis amici.

Haec omnia ad magnitudinem huius viri pertinent, augetur autem haec ipſa tanto vberius, quanto glorioſius egit in eo, quod ars haec cum EO non pereat. Tradidit enim Academiae ſcientiarum Patiſinae hanc eandem integram atque permiſit benigne illam poſt mortem ſuam vulgare.

Londini Gothorum die 28. nouembris 1775 Cl. GVSTAVVS HARMENS medicinae doctor et phyſicae experimentalis profeſſor anno aetatis ſeptuageſimo ſexto mortuus eſt.

Halae hoc ipſo 1775 anno mortuus eſt IOANNES AVGVSTVS GRÜNDLER Academiae naturae curioſorum Berolinenſis ſodalis, aeris inciſor et vti in hiſtoria naturali, ſic potiſſimum in inſectorum cognitione bene verſatus. Communicauit quoque ſuas obſeruationes cum viris eruditis **); Eiusque memoria legi poteſt in actis Societatis naturae curioſorum Berolinenſis ***), quae proxime indicabimus.

*) v. *III. Th. II. B.* 1772. S. 863.
**) v. *Naturforſcher. Halle.* 1774.
***) Vol. I.

Memoria

Memoria NICOLAI ROSENII A ROSENSTEIN, Archiatri Potentiſſimi Regis Sueciae, Equitis ex ordine a Stella boreali dicto, et regiae Academiae apud Holmienſes Sodalis.

Quemadmodum hominis perinepti et ridiculi eſt, nil mirari et alicuius aeſtimare pretii, niſi alienum et quod ab externis nationibus ad nos eſt profectum: ita quoque non minus ineptum eſt habendum, domeſtica tantum mirari. Patriotiſmus enim, cuius veram naturam ii plane ignorare videntur, qui eum vbique, etiam in quaeſtione de bonis litteris ac diſciplinis, tantopere iactant, non eam debet habere vim, vt domeſtici libri tantum legantur, et populares tantum docti aeſtimentur, externi vero et libri et auctores ſpernantur, et tanquam fungi inertes repudientur. Litterarum enim et artium patria propria nulla eſſe debet, ſed vbiuis terrarum coli et poſſunt et debent. Quod ſi enim haec inſania, quae hac aetate quorundam male ſanorum cerebella vexat, latius ſerperet, pluresque contagione quadam inficeret, vt tantum litterarum domeſticarum, h. e. quae a ſuo cuiuſque populare vel inuentae et excultae, vel certe ſermone matrio illuſtratae ſunt, haberetur ratio: breui metuendum eſſet, ne vel barbaries, vix e finibus noſtris expulſa, reuocaretur, vel multa eaque longe praeſtantiſſima, ignorarentur bona et inuenta, quae exteris debentur hominibus. Litterarum enim tot ſunt genera, rerumque natura ſaepe tot inuolucris abdita latet, vt omnium nationum commune debeat eſſe ſtudium ac commercium, vt verum, quod ſit, inueniant, idque recte et perſpicue explicent. Atque ſane ſi vlla vnquam reperitur ars et diſciplina, quae

multo-

multorum hominum et diuerſis in locis degentium operam induſtriamque poſcat: eſt ars medica habenda, quae vt obſeruationibus primum eſt nata, ſic iiſdem debet coli et perfici. Igitur nos quidem hoc in genere, ab omni patriotiſmo alieni, non minus exterarum gentium homines eruditos colendos aeſtimandosque cenſemus, quam domeſticos, ſi qui ſunt, qui recte coli laudarique poſſint.

Quare etiam memoriam viri celeberrimi, et de quibuſdam artis medicae partibus egregie meriti, NICOLAI ROSENII A ROSENSTEIN recolendam libentiſſime ſuſcepimus; qui quamquam natione Suecus, et in Suecia vixit et mortuus eſt, ſcriptis tamen externis profuit plurimum. Hic vir praeſtantiſſimus autem natus eſt, anno huius ſeculi ſexto, patre ERICO ROSENIO, qui tum apud cuiuſdam ordinis milites ſacra adminiſtrabat, viro bono et docto, atque matre ANNA, ex antiqua gente Wecandria, quae olim non paucos tulerat ſacrorum antiſtites. Quae matris prima ac praecipua cura eſſe debet, niſi grauiſſima obſtent impedimenta, hoc eſt, ſuum quamque fetum lactare atque nutrire, eam illa ANNA neutiquam negligendam eſſe exiſtimauit, quamuis a barbara et inhumana noſtri ſeculi mollitie tale officium alieniſſimum eſſe videbatur. Quemadmodum autem mater in corpuſculo pueri alendo nutricis vices obibat: ita pater in ingenio ad litteras formando et moribus ad virtutem fingendis fidelis magiſtri munere fungi ſedulo ſtudebat.

